

cath. A

Pat. Lat. 1201. e

J. F. Lehmann

Handwritten text, possibly a signature or date, located in the lower-left quadrant of the page. The text is faint and difficult to decipher.

ADELMANNI
BRIXIAE EPISCOPI
DE
VERITATE CORPORIS
ET
SANGVINIS DOMINI
AD
BERENGARIUM EPISTOLA
NUNC PRIMUM
E CODICE GVELPHERBYTANO
EMENDATA
ET
VLTRA TERTIAM PARTEM SUPPLETA

CVM
EPISTOLA BERENGARII AD ADELMANNVM
ET VARIIS SCRIPTIS AD ADELMAN-
NUM PERTINENTIBVS



EDIDIT
CONRADVS ARNOLDVS SCHMID
THEOLOGIAE IN COLLEG. CAROL. BRVNOV.
PROF.

BRVNOVICI
TYPIS OFFICINAE LIBRARIAE ORPHANOTROPHEI
A. O. R. MDCCLXX

ADELMANNI

BRITAE EPISCOPI

DE

VERITATE CORPORIS

ET

SANGVINIS DOMINI

AD

BREVENCIAM EPISTOLA

PRIMUM

IN CODICE GYEPHRYANO

REPERITA

ET

ALTRA PARTEM SUPPLETA

CVM

EPISTOLA BERENGARII AD ADELMANNUM

ET ALIOS SCRIPTIS AD ADELMANNUM

PERTEXTIBUS

EDIT

COMPARIBUS ARNOLDVS SCHMID

THEOLOGICVS COLLEGI CAROL. BRVNOV.

PRIN

BRVNOV. O. V. I. C. I.

IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS BRVNOV.

A. G. R. MDCCCXX.





PRAEFATIO.

Cum nullum historiarum monumentum tam sit exile, tamque parum ad curam plurimorum pertinens, quin insigni saepe utilitate sua sese commendet viris prudentibus & eruditis, facturus mihi visus sum operae pretium, si Adelmannicam in causa BERENGARII eucharistica ad ipsum missam epistolam, data mihi eius rei facultate, recudi curarem cum parte ea, quae pro deperdita habita adhuc fuit in omnibus libris impressis. Nam praeter argumenti ipsius, quod pertractandum sibi sumsit scriptor, grauitatem, quae vel sola allicere ac retinere debebat intentionem legentium, praeterque alias huius scripti dotes, hic quasi apertam videmus scenam controuersiarum, super dogma-

te de coena Domini, haut leui animorum aestu agitatarum, cuius diffidii historiam integram pertexere, nisi lecta & excerpta hac epistola, haut sane feliciter possis. Itaque non coaeui solum **ADELMANNO**, & qui illos excepere proximaе aetatis scriptores, vfi exemplaribus nondum discerptis, certatim virum iudiciis & plausu suo ornauere; sed post renatam etiam ex illis ignorantiae tenebris literarum lucem, tam cupide epistolam eius ad **BERENGARIUM** arripuerunt viri eruditi, vt post primam eius editionem, ab **VLIMMERO**, Canonico regularium Brixiae apud diu. Martinum Priore, illis oblatam, quamuis valde trunca, tamen octies saltem sub prelum fuerit reuocata,* non sine desiderio partis abscissae.

Quo

* Editiones epistolae Adelmanni mihi innotuere sequentes: 1) Vlimmeriana, impressa Louanii, 1551. 2) Eadem, repetita Louan. 1561. 3) Parisiensis, in Bibliotheca Patrum, 1589. 4) Coloniensis 1618, in Biblioth. P.P. 5) Lugdunensis, in Patrum Bibliotheca, 1677. 6) Editio Siberi,

Quo desiderio excitatus nostra memoria PAVLVS GALEARDVS,* Brixianae Ecclesiae, dum viueret, Canonicus, vir ingenii & eruditionis fama in primis nobilis,** omni opera labo-

beri, inserta eius commentationi de illustribus Alemannis, Lipsiae, 1710. 7) Galeardi, edita cum sermonibus Gaudentii, Patauii, 1720. 8) Eadem recusa, in Vett. Brixiae Episcoporum operibus, Brixiae, 1738. 9) Eadem seorsim recusa, Augustae Vindel. 1757.

* Ex linguae vulgaris Italicae dialecto Paolo Gagliardi.

** Multa extant viri opera, quibus posteritatis laudem meretur. Indicem monumentorum ingenii eius habes in vita, scripta ab amico eius, Comite Ioanne Maria Mazuchelli, & inserta opusculis Galeardi, sub hac inscriptione vulgatis: *Operette e Lettere del Canonico Paolo Gagliardi, Bresciano, Accademico della Crusca. In Brescia, Giannaria Rizzardi, 1757.* Ex multis eius scriptis aliis, vnum hoc loco silentio praeterire non possum, cuius inscriptio est: *Lettere del Canonico Paolo Gagliardi, Accademico della Crusca. Colle annotazioni, e con un Ragionamento intorno agli Epistolari, di Giambatista Chiaramonti. T. I & II. in Brescia, 1763.*

laboravit, si qua posset, reperta integra Adelmannica epistola, GAV-
DEN-

In huius operis tomo posteriore, epistola tertia, data ad Apostolum Zenum, quaedam leguntur de magna cura, frustra infumta a Galeardo, antequam sub prelo daret Gaudentium, ut suppleret ex aliquo codice Adelmanni epistolam; nec puto ingratum esse viris doctis, ipsa scriptoris verba hic legisse: *Finalmente doppo varie difficoltà e lunghezze, che sempre si frappongono alle letterarie imprese, S. Gaudenzio è condotto a fine, e dentro il venturo mese se ne principierà in Padova la stampa. Come però io non perdo tuttavia il desiderio di dare al publico intera l'Epistola di Adelmanno, che al medesimo va in questa nostra edizione aggiunta, così risorge in me il pensiero di tentare pur anche la sorte, e vedere se col di lei mezzo si potesse ottenere il fine di questa sì nobile inchiesta. Ho fatto riflesso, che tale Epistola fù pubblicata la prima volta in Lovagno l'anno 1551. per opera di Gio. Ulimerio Priore de' Canonici Regolari di quella Città apud S. Martinum, e che certamente presso que' PP. vi dovrebbe essere il MS. Chi sa, che forse cercando non si trovi qualche maggior lume per rintracciare un intero esemplare in altra Libreria, o della Fiandra, poichè Adelmanno scrisse in Liegi, o della Francia, poichè la Lettera fù indirizzata a Berengario*

gario

DENTIO suo, * ac deinceps splendidae illi operum vett. Brixiae Episcoporum editioni, ** aliquid noui decoris

gario Arcidiacono della chiesa di Tours? La cosa non mi pare impossibile, ed ella sa, che ciò che grandemente si desidera, agevolmente si crede. Ricorro per tanto a V. S. Illma, affidato nella sua gentilezza per vedere, se col suo mezzo, o con quello del Sig. Gentilotti, che diuotamente riverisco, si possa praticare questa ricerca, in cui stà riposto quel poco di speranza, che ancor mi rimane, avendo io già ogni altra strada e in Italia e in Francia, e costà ancora com' ella sa, tentata, ma sempre invano. Ritrovandosi qualche cosa arriverebbe in tempo anche dentro il mese di Giugno poichè Adelmanno in questa edizione terrà l'ultimo luogo, e non restò di suggerire il mezzo de' PP. Bollandisti in Anversa, a' quali facendosi capo, potrebbe il ricorso forse non essere inutile.

* S. Gaudentii, Brixiae Episcopi, Sermones qui extant. Accesserunt Ramperti & Adelmanni opuscula. Recensuit & notis illustravit Paulus Galeardus, Canonicus Brixianus. Patavii, apud Josephum Cominum, 1720. Haec editio recusa, sed nulla parte aucta, prodiit Augustae Vindelicorum, sumtibus Ignatii Adami, & Francisci Antonii Veith. 1757.

** Plena operis inscriptio haec est: *Veterum Brixiae Episcoporum, S. Philastrii & S. Gau-*

ris addere. Qui cum fauorem hominum doctorum, quibus bibliothecarum Italiae Germaniaeque maxime insignium demandata erat cura, per epistolas & communes amicos saepe adiisset, nihilque excutiendis codicum vetus-

dentii opera, nec non B. Ramperti & Ven. Adelmanni opuscula. Nunc primum in unum collecta, ad veteres MSS. Codices collata, notis aliisque additionibus illustrata & aucta. Prodeunt iussu Eminentissimi ac Reuerendissimi D. D. Angeli Mariae Tituli S. Marci Cardinalis Quirini, Brixiae Episcopi, & Apostolicae sedis Bibliothecarii. Brixiae. Ex typographia Jo. Mariae Rizzardi, 1738. Insignis haec vett. scriptorum ecclesiasticorum collectio ornat egregiam academiae Goettingensis bibliothecam. E qua mihi contigit, propensa in me voluntate suauissimi, summique officii & summae humanitatis Viri, IO. ANDR. DIEZE, Philosophiae Professoris magna eruditionis laude clari, quibusdam locis ex isto opere decerptis, & aliis rebus mecum per litteras nuper communicatis, Galeardi annotationes, & plura eius ad Adelmannum spectantia, pleniora lectoribus nunc exhibere, quam eadem haec, ex vna Patauina Gaudentii editione, edere antea destinaram.

vetustorum scriniis sollertia, ad explendam ingentem hanc operis ab se edendi lacunam profecisset, tamen non desuit exhortatione sua omnes horum studiorum amatores excitare, seduloque monere, vt in posterum quoque, quicquid lateret epistolae Adelmannicae, omni studio inuestigantes, tenebris & obliuioni eriperent & darent in publicum. Sed doctissimi viri desiderio, nunc demum, post fata eius,* bona mea fauit fortuna. Qua in re mihi quidem gratulor, doleo tamen, si vota nostra inserere diuinae prouidentiae fas est, non in hoc tempus reseruatam fuisse vitam eius. Liceat saltem optasse, communis rei literariae causa, vt in ipsius GALEARDI manus incidisset supplementum nostrum. Non enim mediocre decus accederet ADELMANNO, si, a tali viro illustratus perpetuo commentario, iam dudum esset in manibus eruditorum.

Equi-

* Exemptus est Galeardus rebus mortalium anno seculi huius quadragesimo secundo, aetatis sexagesimo septimo.

Equidem perlubenter meum fragmentum obtuliffem GALEARDO, homini ad haec ornanda nato factoque; obtuli tamen viro, de re literaria egregie merito, IO. MARIAE Comiti MAZZUCHELLI, transmissique manuscriptum meum, anno 1764, cum Berengarianis fragmentis, Brixiam, prelis eius excudendum, aut inferendum nouae editioni operum Episc. Brix. quam ille adornabat. Qua in re gratum me sibi fecisse testatus est, epistola data ad Virum Celeberrimum IULIUM CAROLVM SHLAEGERV M, Confiliarium Aulicum Gothanum, cuius humanitatem plane singularem, mittendis Brixiam epistolis, commendandoque chirographo meo, prolixè expertus sum. Sed fatum, quod Adelmannicae laudi huc vsque minus fauerat, etiam nunc illi obstabat, videbaturque supplementum epistolae eius iterum obliuioni addictum. Decessit quippe, qui tutelam eius susceperat, eruditus Comes, proximo anno 1765.*

Satis

* Obiit Comes Mazzuchelli huius anni die
XVIII.

Satis diu post hunc casum nihil certi de Adelmanno meo, de quo seruando iam nihil ipse sperabam, donec post litteras, datas ad PHILIPPVM, trium filiorum Mazzuchellianorum natu maximum, responsum tuli, Brixiae datum d. VI. Kal. Iulii 1768, quo mihi significauit: ADELMANNUM meum nondum publicam lucem adspexisse; quaesitorem fidei Brixianorum facultatem concedere negasse editionis fragmentorum BERENGARII; obtulisse se opellam Veneto chalcographo, a quo si non obtineret vt imprimatur, manuscriptum se mihi remissurum. Votis meis satisfacere destinasse ipsius patrem, si vixisset, nam illum cogitasse nouam adornare SS. Patrum Brixianorum editionem. Rediit ergo ad me Adelmannus anno sequenti 1769, Augusto mense, vix elapsus funestae illi ac horrendae calamitati, quae eiusdem

xviii. Nouembris, agens aetatis quinquagesimum octauum. Prodiit sequenti anno Brixiae *De vita Comitis* liber, qui inscribitur: *Vita, costume, e scritti del Conte Giannaria Mazzuchelli, Patrizio Bresciano.*

dem mensis die xviii. coelo tacta turri, puluere pyrio referta, adflixit urbem nobilissimam, parte eius funditus subruta, omnibus fere aedificiis quasatis, magna hominum multitudine aut debilitata, aut sub tectorum ruinis misere sepulta; qua ruina fortasse etiam bona quaedam scripta periere.

Nunc, quo casu in ADELMANNUM ego inciderim, iuvat hic fusius paullo & diligentius exponere. Qua in re non moror hominum, qui talia non amant, vocular, quorum aliqui fortasse, dum haec legunt, statim mihi occinant illud: Maxima de minimo nascitur historia! Spero enim et plane habeo persuasum, talia legere, eorum in primis interesse, quibus otium est & occasio, membranas nondum inspectas, & in bibliothecarum instructissimarum armariis adhuc latentes, excutiendi, & bona inde antiquitatis monumenta eruendi. Destinaueram epistolam HIERONYMI ad HEDIBIAM, aliquot abhinc annis a me in linguam patriam translata, & excursionibus quibusdam, partim historicis, partim philologicis auctam, feor-

seorsim edere, ex consilio amicorum ipsum contextum latinum huic conversioni subiuncturus. Quem ne parum emendatum protruderem in publicum, multos editos libros, (& in iis duos valde antiquos, alterum impressum absque loci & anni mentione ch. max; alterum in membrana exscriptum Moguntii 1470. forma maxima*) mox quaedam exemplaria manu exarata, contuli cum splendida illa DOMINICI VALLARSII editione, impressa Veronae 1734.** Aliquantum, nec sine fructu, in hoc studio progressus, cum passim loci ali-

* Prolixiorem huius editionis descriptionem exhibet Mich. Maittairius, annal. typ. tomo I. pag. 67.

** Haec quoque editio pertinet ad ornamenta bibliothecae Goettingensis. Debeo autem augmenta Vallarsii, humanitati & amicitiae, quae inde ab iuuenili aetate intercessit mihi cum Celeberrimo Viro, GEORGIO MATTHIAE, Med. Doct. & Professore Publico acad. Göttingensis. Qui etiam rogatu meo, abruptam adhuc extare in Galeardi editione Opp. Episc. Brix. Adelmanni epistolam, primus mihi significavit.

alicuius bene emendandi spes adparet, aperui consilium meum Venerando Musarum nostrarum Protectori, Primo Collegii Carolini Curatori, Viro Perillustri atque Excellentissimo DE SCHLIESTEDT, cuius favore adiuto, quod publice profiteri meae, qua obstrictus illi sum, pietatis est, nihil mihi ad hanc rem exsequendam, denegatum est subsidii. Transmissi mihi itaque huc erant e bibliotheca Guelpherbytana quinque codices membranacei, epistolas HIERONYMI & alia eiusdem opera continentes. Horum quatuor exhibebant, quod inspicere laborabam, opusculum ad HEDIBIAM; quintus autem, ab vna librarii manu satis luculenter scriptus, litteris maiusculis, foliis cxxv. forma mai. praeferebat non huius ad HEDIBIAM epistolae, sed librorum aliorum indicem, quos paucis repetere non piget.

I. SANCTI PROSPERI DE LAPSV
PRIMI HOMINIS, * foliis 85.

II.

* Est liber *De promissionibus & praedictionibus Dei,*

II. PROVERBIA ANNII SENE-
CAE, foliis 5.* III. VARIA SAN-
CTI IERONIMI OPUSCULA, fo-
liis 44. Continet hic opusculorum,
HIERONYMI nomine insignitorum,
fasciculus, sequentia: 1) AD RIPA-
RIVM CONTRA VIGILANTIVM.
2) AD PAMACHIVM DE OPTI-
MO GENERE INTERPRETANDI.
3) AD MARCELLAM. 4) AD
PAV-

Dei, Prospero Aquitano, sec. v. scriptori,
falso attributus, cum libris quibusdam illi
annexis, qui inscribuntur: *Dimidium tem-
poris*. Opus typis quidem exscriptum in
bibliothecis patrum, quod tamen, colla-
tione cum codice hoc, multis in locis val-
de corruptis, posset emendari.

* *Sententiae*, siue *Mimi*, *L. Annaei Senecae*, &
Publ. Syri, ordine elementorum, s. Alpha-
betico digesti, multum discrepantes a pluri-
mis editis. Nam, vt alia taceam, in me-
dio fere litterae N. vel librarius, vel quis-
quis olim fuit sententiarum collector, mu-
tato proposito, sensim delabitur a iambis
& trochaeis, siue mimis Senecae, ad sen-
tentias nulli metro adstrictas, e Cicerone,
Plinio iuniore, Seneca Philosopho, & aliis
scriptoribus corrasas.

PAVLAM DE DORMITIONE
 BLESILLAE. 5) AD VIGILAN-
 TIVM. 6) EPISTOLA IERONI-
 MI. 7) AD OCEANVM DE MOR-
 TE FABIOLAE. 8) AD LAETAM
 DE INSTITVTIONE FILII.
 9) VITA PAVLAE VIDVAE.
 In medio hoc de vita PAVLAE
 opusculo, cultellum passus erat codex,
 & quaedam eius folia deerant in fine.
 Haec sunt codicis contenta. Caete-
 rum nusquam aliquid videbam indica-
 tum de antiquitate eius, aut de libra-
 rio, qui ista in suum volumen con-
 gesserat. Quo tamen seculo exara-
 tus forte sit codex, ex ipsius atra-
 menti colore hariolari ante me ausus
 fuerat homo quidam doctus, qui eum
 manu versarat, antiquitatemque eius
 retulerat ad seculum vsque nonum,
 vel decimum. Nam in prima statim
 libri pagina haec verba subnotata
 legebam: „MONTEFALCONIVS
 „Gallus, in Palaeographia Graeca,
 „edita Parisiis, 1708. in fol. de co-
 „dicibus, quorum atramentum, pri-
 „mo mutato colore, flauum rutilum-
 que

„que est ac pene ad minium accedit,
 „(röthlig, vt hic praesens) affirmat,
 „esse seculi noni vel initii decimi.
 „Vide Montfaucon pag. 272. Hoc
 „etiam de latinis dicendum.” Codi-
 cem igitur vetustum naetus, quem
 insuper ipse literarum ductus, & alia
 indicia, harum rerum gnaris satis no-
 ta, haut valde recentiore esse cla-
 mabant, desidem me & vix dignum
 illo fauore fortunae, rebus meis ad-
 spirantis, putabam, si neglexisse ob-
 latam mihi, in hoc studiorum gene-
 re, praeclaram aliquid addiscendi oc-
 casionem, iure arguerer. Accingor
 ergo, reiecta interim illa ad HEDI-
 BIAM epistola, nouo labori; codi-
 cem integrum studiose perlustro, dis-
 cutio singula, confero cum libris edi-
 tis, multa enoto, & lectionum prae-
 cipue varietates transfero in chartu-
 las meas. Hoc sedulo agens, pro-
 gredior ad illud vsque opusculum,
 quod inscribitur in codice, EPISTO-
 LA IERONIMI. Inspicio princi-
 pium, haereo; pergo ad proxima,
 maior obscuritas; denique, quo iam
 maudo b dela-

delatus sim, ignoro. Nempe quem quaerebam HIERONYMVS oculis meis repente erat subductus, & incideram in hominem alium, sub eius persona latentem, initio quidem nihil de semet ipso profitentem, non quis ille, aut cuius esset; postea etiam simpliciter prae se ferentem, longe se sanctis ecclesiae patribus HIERONYMO, AVGVSTINO, AMBROSIO, haberi velle inferiorem. Itaque ambulamus homines inuicem haut noti, in nocte illumi, spissa quasi nebula septi. Ille multa mihi narrare de collactaneo quodam suo, de FOLPERTO, communis quondam in schola Carnotensi pueritiae formatore, de fratre quodam G. & alia, ex quibus, nisi mente inter viros prioris aetatis versarer, illum nosse, non multo mihi labore constaret: ego eum auide audire, saepe interpellare narrantem, modo illum FLORI, modo AGOBARDI, modo aliorum nominibus appellare, qui seculo nono decimoue floruerant; donec facem e longinquo scintillantem propius admouerent, in via nobis
 obuiam

obuiam facti, SIGEBERTVS GEM-
BLACENSIS, & IO. TRITHEMIVS,*
cuius splendore illuminata

Scindit se nubes & in aethera pur-
gat apertum,

Restitit AENEAS, claraque in lu-
ce refulsit.

Ergo quem minime hic expectaram,
lateri meo adhaerebat ADELMA-
NVS, quocum arctiorem ex hoc
tempore contraxi familiaritatem.

Reperto ADELMANNO, codicis no-
stri aetas saltem descendebat ad secu-
lum vsque vndecimum, & non valde
iuniorem esse, nunc, si potero, ef-
ficiam quo fiat vero simile. Ut nihil
dicam de simplici, non distorto &
inflexo, sed ad antiquiores membra-
nas proxime accedente literarum du-
ctu, videtur hic codex ob alias cau-
sas pertinere ad prima epistolae Adel-
man-

b 2

man-

* Scriptores a Io. Alb. Fabricio, in biblio-
theca Ecclesiastica, repetita editione vul-
gati, vitas & scripta virorum, in histo-
ria Ecclesiastica clarorum, enarrantes.
Editi Hamburgi, 1718.

mannicae apographa ; quod ipsam statim eius inscriptionem haut obscure indicare crediderim. Vnde enim librarii lapsus in nomine auctoris, viri clari, episcopi Brixienfis? Num ignorasse illud aut perdidisse memoriam eius credibile est, si eo tempore, quo pinxit nomen HIERONYMI, controuerfiarum, in causa eucharistica a BERENGARIO motarum, conciliorumque a GREGORIO VII. Pontifice eapropter conuocatorum fama, sparsa iam & disseminata fuit per vniuersam Germaniam Italiamque? Aut si forte verba haec essent recentioris cuiusdam librarii, qui seculis posterioribus illa pinxisset, testatur tamen ipsa salutationis Adelmanicae formula, in qua BERENGARII nomen non apparet, exemplar hoc scriptum, vel ab alio exemplari transcriptum esse, antequam flagraret controuerfiae incendium, cuius primas scintillas primamque materiem restinguere amica admonitione tentabat ADELMANNS. Non sane abhorret a moribus viri tam

tam

tam mitis tamque humani, quoad licuerit, pepercisse nomini fratris & collactanei, cuius errores, nunc primum ad ipsum perlatos, emendari & tegi, non epistola hac in apricum proferri, magni ipsius intererat. Nam quod scribit BERENGARIO, proximam se arripuisse nouae haereseos carpendae occasionem, *ne affinis illi, ipso silentio, existimaretur*; id eo pertinere puto, vt BERENGARIUS antea monitus, desisteret pertinacia sua immodica & inflexibili, eo illum adigere, vt aliquando, sui ipsius purgandi causa, ad hanc epistolam prouocaret. Potuit ergo epistola recens scripta, vel inuito aut nesciente ipso ADELMANNO, casu aliquo, vel per fiduciam silentii, venisse in manus amicorum communium, vt sine vtriusque nominis significatione circumferrentur quaedam eius exempla. Et huiusmodi apographon exhibere codicem Guelpherbytanum, vix dubito. Quid autem fuerit, quod librarium in nomen HIERONYMI illexerit, ni fallor, hoc erat, quod nolebat,

b 3

abs.

absque vlla inscriptione comparere opusculum, & commodum, hoc sancti patris nomen succurrebat, saepius iam ab eo in fronte aliorum opusculorum pictum.

Aliud exemplorum genus deinceps, nescio quam longo aut breui temporis interuallo remotum a primis de quibus dixi, videtur extitisse, cum, sublata omni tegendorum nominum causa, feruente iam controuerfia, inter alios BERENGARIO publice oppositos libros, iam non dissentiente ADELMANNO, vulgaretur eius epistola & in tabernis librariis venum exponeretur. Tale fuit, credo, exemplar fragmenti ab VLIMMERO editum, id quod prolixior illa inscriptio testari videtur, ADELMANNI EX SCHOLASTICO IEO-
DIENSI EPISCOPI BRIXIENSIS DE VERITATE CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI IN EVCHARISTIA AD BERENGARIUM EPISTOLA. Habes huc accersitos a librariis* duos honoris & digni-

*Liceat, dum ludens quasi coniecturis meis haec scribo, assumere opinionem, epistolae
lae

dignitatum titulos, quibus ornatus fuit ADELMANNVS, nempe SCHOLASTICI LEODIENSIS (i. e. praefidis & doctoris apud Leodienses) & BRIXIENSIS EPISCOPI, quo scilicet splendor magnumque nomen scriptoris plures alliceret emtores, & maior eius esset apud externos auctoritas. In ipsa etiam formula salutationis illud, COLLECTANEVM, non expressere, fortasse quia tam dulcis allocutio repugnaret grauitati viri, nunc in vniuersae Ecclesiae oculis ab eo dissentientis, ex qua tamen appellatione profluxerat initium epistolae, *Collactaneum te meum vocavi*, & quaedam sublatamque ne horum quidem verborum sententia perspici recte poterat. Igitur statim in ea voce haesit acumen GALEARDI, deriuantis illam a titulo CONSCHOLASTICI.*

b 4

Con-

lae titulum in libros impressos esse traductum e codicibus, concinnatumque a librario aliquo, donec certior mihi opponi possit illius auctor.

* Verba sunt Galeardi in annotatione, „Nisi CONSCHOLASTICVM dixisset „Beren-

Contra ea haut neglexerunt librarii horum posteriorum codicum, BERENGARII & ADELMANNI nomina inferere salutationi, quae data opera suppressa in prioribus illis fuisse suspicor.

Erant quae his addere possem e lectionum varietate codicis Vlimmeriani & nostri, vt illud: *sancti fratris n. 5.** aut illa verba: *duo scilicet, ex circumcissione, & duo ex praeputio, vt uterque populus suis ac legitimis auctorita-*

„Berengarium Adelmannus, non video,
„quomodo apte subdi possint verba
„COLLECTANEVM *te meum vocavi.*”

* Inter Ecclesiae patres, amice inter se conspirantes de fide catholica, & de rebus huc pertinentibus eadem sentientes, solemnis olim erat *sancti fratris* appellatio, desumpta ex epistolis Paulinis. Sic Hieronymus, Augustinus & alii creberime. Facile ergo librario, qui saepius horum patrum opera descripserat, & cuius aures tempore illo adfuetae erant huic appellationi, in mentem recurrere poterat ista honoris significatio. Ab ipso Adelmanno fratrem Berengarium, haereseos iam apud multos suspectum, apposite satis *sanctum* appellari potuisse, non puto.

ritatibus, siue ad salutem, siue ad iudicium vteretur, n. 44. quae iam glossa sapiunt, * & alia, ex quibus efficeretur, hunc nostrum proxime attingere tempora scriptoris, cum in herba quasi adhuc lateret BERENGARII doctrina; illum recentioris editoris vbique praeferre indicia: illum ex riuulis, hoc est, e codicibus antiquioribus; hunc e fonte ipso, & pene ex ADELMANNI calamo scriptorio emanasse, sed vereor nauseam lectoris in re tam tenui, vixque lectu aut memoratu digna.

De ipsa editione nostra multa dicere nihil attinet. Dedimus operam, vt plurimis saltem locis, codicem Guel-

b 5

pher-

* Propensus quidem eram, cum verba haec infererem lectionibus variantibus, in eam sententiam, contextum Adelmani commode iis suppleri posse, verum, si vel vnum hoc consideres, (quod & Galeardus annotauit) Marcum Euangelistam non fuisse ex praeputio, & horum testium tres, ex narratione Hieronymi & aliorum Ecclesiae patrum, sanguine Iudaeorum ortos, suspecta merito nobis erit horum verborum fides.

pherbytanum repraesentaremus spectantium oculis, subiuncta lectionis varietate, quam in editis deprehendimus. Scrutinium & examen melioris lectionis data opera reliquimus lectori, quia aliquando reproductum iri in bibliotheca aliqua tertium huius epistolae codicem, post repertum hunc nostrum, iam non desperamus. Suppressimus tamen passim manifestas librarii aberrationes, quales sunt: *Socratrix* & al.

Adiunximus ADELMANNO fragmenta epistolae responsoriae BERENGARII, quae maiori cum voluptate hic legi poterunt in posterum, quam in spisso illo Anecdotorum volumine, tanto locorum interuallo discreta ab ADELMANNI epistola. Qua in re fati mirari non possumus rigidum inquisitoris fidei Brixianorum iudicium, qui ob BERENGARIUM, adhaerentem in schedis nostris ADELMANNO, etiam ipsum ADELMANNVM episcopatus sui sede exterminandum, eique, in patriam * reiecto, aqua quasi & igni inter-

* Quicquid ab utraque parte de Adelman-
ni

interdicendum censuit in Italia. Neque vero mira nobis ista censura videretur, nisi Berengariana fragmenta a viris, Ecclesiae Romano - Catholi-

ni patria disceptetur, tamen gentis familiaeque eius originem non esse in Italia, sed in Germania nostra quaerendam, vel nomen ipsum testatur. Certe non multum prodesse videntur in causam Galeardi, haec epistolae verba n. 14. *Inter Teutonicas aures diu peregrinor.* Quibus fortasse nihil aliud voluit significare, quam, *se iam diu explorasse & quotidie adhuc explorare, quibus imbuantur aures Teutonicae rumoribus.* Potuit Adelmanno, cum haec scriberet, venisse in mentem illud Ciceronis pro Mil. *Aures vestrae peregrinantur.* Nempe vt Cicero dixerat, iudicum Romanorum *aures peregrinari*, quia, quod omnes audiuerant, soli ignorarent; sic, conuersa sententia, Adelmannus dicit, *auditiones suas se excepisse peregrinantem inter aures Teutonicas.* Quam quidem interpretationem nostram si non placeat admittere, aliud aduersus istam Galeardi coniecturam pugnans argumentum profert auctor, qui Gaudentium eius partim ornauit commendatione sua, partim examine critico percensuit, in
actis

tholicae addictis, in lucem protracta,
 & in vrbe, Catholicorum Christiano-
 rum doctrinis dicata, dudum essent
 impressa, iamque vltra dimidium
 seculi huius, in omnibus terris, ditioni
 ac imperio summi huius Ecclesiae
 Episcopi subiectis, nullo interuenien-
 te fidei censore, diuulgarentur. Nos
 meliora edocti, toleramus, salua ta-
 men veritatis diuinae grauitate & re-
 cti conscientia, a nostra sententia dis-
 sentientes, si quando, ingenii humani
 imbecillitate, non omnem lapidem,
 in quem impingere & nos potuiffe-
 mus, satis caute praeuiderint euita-
 uerint

aetis eruditorum, latina lingua Lipsiae
 publicatis, mense Octobri anni 1722;
 vnde & nos euocauimus locum ad hanc
 causam pertinentem, pag 61, 62. Scio,
 Galeardum illi scriptori opposuisse opu-
 sculum paucarum plagularum, absque
 loci & anni mentione, hoc titulo insigni-
 tum: *Ephemeris Ephemeridum, seu iudi-
 cium de actis Lipsiensibus, mensis Octobris,
 anni 1722. ad Cl. V. Io. Burchardum Men-
 chenium*: Sed an illam de Alemannia,
 Alemanni patria, quaestionem ibi agita-
 re

uerintque. Itaque neque ADELMAN-
NVM alienamus, neque BERENGA-
RIVM. Speramus potius, fore vt
ipsa sententiarum diuersitas in causa
hac eucharistica, magis retineat ani-
mum lectoris a veri studio non alieni.
Amamus enim iudicium nostrum in-
terponere scriptoribus contraria sua-
dentibus, ab vtraque parte moniti,
vt medium tenentes, in neutram te-
mere transcurramus.*

BEREN-


re pergat vir doctus, & aduersarii dissen-
sionem conuincere validioribus aut vo-
luerit aut potuerit ratiociniis, ignoro,
quia scriptum hoc in manus meas non
venit.

* Aperitur nobis in Coenae Eucharisticae
vfu, fons ille inexhaustus amoris Iesu
Christi, seruatoris nostri, de fide ver-
borum eius interim securis, id est, de
modo, quo cum illo vnimur, non labo-
rantibus. Vltius progressos homines
Christianos, qui, non in loco sagaces,
modum aliquem mente sibi fingunt, vi-
deas, haut sine communis rei Christia-
nae detrimento, multis quaestionum
suarum nexibus haerentes, strenuis eti-
am inter se exercitatos odiis, ob illud,
nullo

BERENGARIUM, quantum eius in hac membrorum a corpore suo male diuulforum congerie fieri potuit, distinximus, correximus, eruimusque loca ex AVGVSTINO & AMBROSIO a scriptore in subsidium dogmatum suorum euocata.

Hac opera nostra & scriptis opusculo insertis si viris eruditis & aequis lectoribus studium nostrum & bonam rebus eorum inferuendi voluntatem probari videamus, fruemur suauissimo hoc eximia erga nos humanitatis testimonio, fauentemque votis nostris habuisse fortunam, cum sincera grati animi testificatione, gloriabimur. Scrib. Brunouici, Calendis Martiis. A. O. R. MDCCLXX.

nullo pretio aestimandum diuinae misericordiae pignus, cuius vnus scopus erat, conscientiae tranquillitas, & firmata sanguinis expiatorii virtute fides, mutua denique omnium mortalium, generis humani seruatorem adorantium, caritas.



CON-

CONTENTA LIBRI.

ADELMANNI AD BERENGARIVM EPISTOLA.

EPISTOLA BERENGARII AD ADELMANNVM.

VRVINVS DVREANDVS DE BERENGARIO.

PAVLVS GALEARDVS DE ADELMANNO.


VARIORVM DE ADELMANNO TESTIMONIA.

VRBANVS GOTTOFREDVS SIBERVS DE
ADELMANNO.

PAVLI GALEARDI ANNOTATIONES IN
ADELMANNVM.

ADELMANNI RHYTHMI ALPHABETICI.

PAVLVS GALEARDVS IN RHYTHMOS
ADELMANNI.



Ad

CONTINENT A LIBRI

Ad bibliopegum:

Folium, continens specimen codicis aeri incisum,
hoc loco agglutinandum est libro.



An den Buchbinder.

Das Kupferblatt der Probe des Manuscripts muß
hier eingeleimt werden.

EP̄LA IERONIMI.

DILECTO in xp̄o fr̄i. conscolastico atq. col
lactaneo in dño salutē. Collactaneū te me
um uocau. ppt̄ dulcissimū illud contuberniū
qd̄ tecū adolescentulo ipse ego maiusculus in a
chademia carnotensi sub nro illo uenerabili so
crate iocunde t̄nsegi. Cui de conuictu gloriari
nob̄ digni eēt. quā gloriabat̄ plato gr̄as agens
nature. qd̄ in dieb' socratis hominē se & n̄ pecu
de peperisse. *cet.*



DILECTO IN CHRISTO FRATRI
CONSCHOLASTICO ATQVE COL-
LACTANEO IN DOMINO
SALVTEM.

Collaetaneum te meum vocavi, propter
dulcissimum illud contubernium, quod
tecum adolescentulo, ipse ego maiusculus, in
academia Carnotensi, sub nostro illo venera-
bili

LECTIONES VARIANTES.

DILECTO) Huic salutationis formulae librarius co-
dicis nostri falsam inscriptionem: EPISTOLA
IERONIMI, rubro colore pictam, praemisit, de
qua in praefat. Aliam editi exhibent inscriptio-
nem: ADELMANNI EX SCHOLASTICO LEO-
DIENSI EPISCOPI BRIXIENSIS DE VERI-
TATE CORPORIS. ET SANGVINIS DOMINI
IN EVCHARISTIA AD BERENGARIUM EPI-
STOLA quae videtur esse recentioris librarii, vide
praef.

CONSCHOLASTICO) Codex: CONSCHOLASTICO.
A Edi-

bili Socrate iucunde transegi: ² cuius de con-
 victu gloriari nobis dignius esset, quam glo-
 riabatur Plato, gratias agens naturae, quod in
 diebus Socratis, hominem se & non pecudem
 peperisset. ³ Nos enim sanctam vitam salu-
 bremque doctrinam catholici & christianissimi
 viri vna experti sumus, & nunc eius apud
 Deum precibus adiuuari, sperare debemus: ⁴
 nec ille putandus est memoriam, in qua nos
 tanquam in sinu materno semper ferebat, ami-
 sisse; ⁵ nec caritas Christi, qua sicut filios
 ample-

Editiones Colon. Lugd. & Siberi, SCHOLASTI-
 CO; sed rectius cum Louan. & Paris. Galcardus.
 CONSCHOLASTICO. Addunt editi vocem: BE-
 RENGARIO, quam non addit codex, ob causas
 in praefat. allatas.

ATQVE COLLECTANEO) Male omissa in edi-
 tis omnibus verba, vt apparet ex initio epi-
 stolae: *Collectaneum te meum vocavi.*

IN DOMINO SALVTEM) Editi: BERENGARIO
 ADELMANNVS SALVTEM IN DOMINO.

te cum) Editi: *cum te.*

iucunde transegi) Editi: *iucundissime duxi.*

2. dignius esset) Editi: *dignius licet.*

naturae, quod) Editi: *naturae, eo quod.*

Socratis) Editi: *Socratis sui.*

3. sanctam vitam salubremque doctrinam) Editi:
sanctiorem vitam salubrioremque doctrinam.

christianissimi viri) Editi: *christianissimi hominis.*

vna experti sumus) Editi: *experti sumus.*

4. nec ille) Editi: *neque enim.*

5. nec caritas Christi) Editi: *aut vero car. Chr.*
 ample-

amplectebatur, extincta est in eo, sed absque dubio memor nostri, & diligens plenius, quam cum in corpore mortis huius peregrinaretur, inuitat ad se votis & tacitis precibus, ⁶ obtestans per secreta illa & vespertina colloquia, quae nobiscum in hortulo iuxta capellam, de ciuitate illa, quam, Deo volente, senator nunc possidet, saepius habebat, ⁷ & obsecrans per lacrimas, quas interdum, in medio sermone prorumpens, exundante sancti ardoris impetu, emanabat, vt illuc omni studio properemus, viam regiam directim gradientes, sanctorum patrum vestigiis obseruantissime inhaerentes, ⁸ vt nullum prorsus in diuerticulum, nullam in nouam & fallacem semitam desiliamus, ne forte in laqueos & scandala incidamus, quia, sicut ait Psalmista, *iuxta iter scandalum posuerunt mihi*, (Ps. 140. v. 6.) nam quod *iuxta iter* est, hoc est extra iter, ⁹ De via autem quid dicitur?

A 2

Pax

amplectebatur) librarius: *amplectabatur* forte: amplexabatur.

extincta est in eo) Editi: *in eo extincta est*.

et diligens) Editi: diligens. Louaniensis tamen exhibet particulam &

7. Sancti ardoris) Codex: *sancti sermonis*. Nempe quia paulo ante scripserat librarius: *in medio sermone*.

8. in diuerticulum) Codex omittit particulam: *in iuxta iter est*) Editi: *est iuxta iter*.

9. quid dicitur? Editi: *quid dicit?*

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. (Ps. 119. v. 165.) Et quid est lex Domini, nisi via Domini? ¹⁰ Sicut in alio psalmo cantatur: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum.* (Ibid. v. 32.)

Ergo in via pax, extra viam scandalum.

¹¹ Hoc scandalum incurrunt, qui per haereses & schismata deuiantes, pacem catholicam impiis contentionibus rescidunt, quos nihilo minus in psalmo XIV ita notatos aduertimus: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt,* (Ps. 14. v. 3.)

¹² Ecce scandalum, vel potius scandala, nempe contritio & infelicitas aeterna, quae occurrunt in semitis haereticorum, viam pacis catholicae nosse recusantium. ¹³ Auertat

Do-

II. in psalmo XIV.) ita est in codice. Galeardus: in psalmo *decimo tertio*. Ita etiam editio Lugdunensis & libri impressi omnes: qui, cum versione bibliorum vulgata, sequuntur auctoritatem LXX. interpretum, in connectendo decimo psalmo hebraici codicis cum nono, vt, contra diuersum vtriusque psalmi argumentum, quod pertractat sanctus vates, tamquam vnus ibi legatur psalmus, & eodem ordine procedat reliquorum numerus. Noster codex cum veram exhibeat psalmorum hebraei codicis distinctionem, crediderim, falsam illam graecorum interpretum diuisionem nondum in vulgatam versionem transfluxisse Adelmanni aetate, aut nondum in omnia eius exemplaria.

ita notatos) Editi: ita *annotatos*

Dominus a te, frater, tales semitas, & convertat pedes tuos in testimonia sua, & mendaces ostendat, qui famam tuam tam foeda labe maculare nituntur, ¹⁴ spargentes usquequaque, ut non solum Latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas tam diu peregrinor, repleuerint, quasi te ab unitate sanctae matris Ecclesiae diuulseris ¹⁵ & de corpore ac sanguine Domini, quod quotidie in uniuersa terra super sanctum altare immolatur, aliter quam fides catholica teneat, sentire videaris. Hoc est, ut illorum de te dictis utar, non esse verum corpus Christi, neque verum sanguinem, sed figuram quandam & similitudinem. ¹⁶ Haec autem cum ante biennium audissem, fraternitatem tuam per epistolam conuenire, idque ex te ipso certius sciscitandum, decreui. ¹⁷ Sciens porro, familiarem tuum, dominum Paulinum Metensem, primicerium, mihi proprio-

A 3

pio-

13. a te, frater) Editi; a te, *sancte* frater.
 tales semitas) Editi: *semitas tales*.
14. inter quas) Particula *quas* librarii oscitantia praetermissa erat.
15. de corp. ac. sang.) Editi: de corp. & sang.
16. Haec autem) Editi: Haec.
 cum ante biennium audissem) Editi: *ante hoc biennium cum aud.*
 sciscitandum) Editi: *sciscitandum esse*.
17. Sciens porro) Codex: *Scimus* porro.
 Metensem Editi: *Mettensem*.

piorem, tibi que aliquanto vicinorem esse, ex
 mea petitione & sua pollicitatione delegavi
 tibi huius negotii executionem: ¹⁸ At ille
 (non enim in hac re laudare eum possum)
 negligens siue alterutrum, siue vtrumque
 nostrum, vsque adhuc reliquit me suspen-
 sum ¹⁹ Sed diuina gratia, nos nunquam
 negligens, inopinato mihi obtulit melius,
 quam optabam. ²⁰ Optabam autem homi-
 nem inuenire peregrinandi vsu exercitatum,
 regionis & linguae Francorum non ignarum:
²¹ & ecce, stetit mihi a latere frater iste G.
 ex tuo nomine me salutans. ²² Obstupui
 prae gaudio, & tamen non potui, fateor,
 tam repentino euentui fidem integram ha-
 bere, quia frater idem nullum abs te signum
 litteratorium (vti mos est inter amicos tam
 longe remotos, tamque diu non visos) af-
 ferebat: ²³ Quod tamen ipsum multis de
 causis, facile persuasibilibus, excusabat.
²⁴ Siue ergo vere, siue aliter hoc agebat,
 ego eum a Domino praeparatum mihi esse
 non diffidens, nolui diutius dissimulare, quin
 ipse

mihi propiorem) Editi: *tibi propiorem.*

ex mea petitione) Editi: & mea pet.

20. hominem inuenire) Editi: inuenire hominem.

21 stetit mihi a latere) Editi: e latere.

22. Non potui. fateor, tam) Editi: non potui
 tam.

24. nolui diut. dissim.) librarius mendose: *volui diut.*
dissim.

ipse ad te mente ac spiritu meo, praesentibus litteris, tanquam pennis induto, per tanta terrarum spatia tranfuolarem; ²⁵ obsecrans per misericordiam Dei & per suauissimam memoriam Folperti, vt pacem catholicam diligas, neque conturbes rempublicam Christianae ciuitatis, bene iam compositam a maioribus nostris; ²⁶ pro qua tot martyrum milia, contra idololatriam & regnum diaboli fortiter dimicantes, triumphauerunt, subindeque sancti doctores, bella ciuilia ab haereticis commota, salutaris eloquentiae fluminibus restinxerunt, itaque eam circumquaque munierunt, vt iam nouus hostis nullus oboriri queat, qui aduersus eam aliquid nitens, non continuo mille iaculis desuper ruentibus, obruatur. ²⁷ Ideo confusi sunt omnes & defecerunt. Vbi enim sunt Manichaei? vbi Arriani? quonam tota illa factio perditissimorum ciuium euasit? Computruit etiam memoria eorum. ²⁸ At vero Ambrosius, Augustinus, Hieronymus & alii plures bestiarum talium oppressores, cum laudibus

ipse ad te mente) Editi: ipse mente.
induto) mendose librarius: *indute*.

25. & per suauiss.) Editi: per suauiss.
Folperti) Editi: *Fulberti*.

bene iam compositam) Editi: bene comp.

26. tot martyrum milia) Editi: *tot millia martyrum*.
idololatriam) Codex: *idolatriam*.

fortiter dimicantes) Editi: *fortiter certantes*.

bus viuunt, cottidieque splendidius efflorescunt. ²⁹ Bonum est, frater, nobis paruulis, sub istorum ducum titulis delitescere, quorum tam valida tamque probabilis est apud ecclesiasticas aures auctoritas, sanctarum virtutum & coelestis sapientiae luce prae-pollens, vt extremae iam sit dementiae, vel de ratione fidei, vel de ordine recte viuendi, his in aliquo refragari. ³⁰ Quare? Nonne homines erant & falli ab aliis, atque ipsi fallere alios poterant? Ita enim dicit scriptura verax, quia *omnis homo mendax*. (Ps. 116. v. 11.)

³¹ Vnde ergo eo culminis peruenerunt, vt tam ratum habendum sit, quicquid de diuinis mysteriis senserunt? Nam & gentiles magni quidam, & nobiles philosophi; multa falsa, quae iure contemnimus, non solum de creatore Deo, sed & de hoc mundo & de his quae in eo sunt, sensisse inueniuntur.

³² Quid enim absurdius affirmari potest, quam coelum astraque omnia stare, terram
vero

29. (sanctarum virtutem) Editi: sanctarum virtutum *fulgore*.

& coelestis) Editi: coelestis.

his in aliquo) Editi: *eis* in aliquo.

30. & falli) Codex: & *falsi*.

31. senserunt?) Editi: senserunt. *memoriae que mandauerunt?*

sed & de hoc) Editi: sed de hoc.

& de his, Editi: & his.

vero rapida vertigine circumferri? ³³ falli
 vero eos, qui putant coelestia moueri, quem-
 admodum falluntur nauigantes, quibus tur-
 res atque arbores cum ipsis litoribus re-
 cedere videntur? ³⁴ Solem praeterea non
 calere, niuem nigram esse, quis ferat audi-
 re? Sunt apud illos plura aequae monstuo-
 sa, quae profequi longum est & nugatorium,
 de quibus docti nostri dicunt: *se esse sapien-
 tes, stulti autem facti sunt.* (Rom. 1. v. 22.)
³⁵ Non hos elegit Dominus, qui superbiae
 spiritu inflati, *euanuerunt in cogitationibus suis.*
³⁶ At nostri illi patres, humiles corde, pau-
 peres spiritu, pro quibus Salvator Patrem
 glorificat hoc modo: *Confiteor tibi domine
 Pater coeli & terrae, quia abscondisti haec a sa-
 pientibus & prudentibus, & reuelasti ea paru-
 lis;* (Matth. 11. v. 25.) ³⁷ ideo veraces sunt,
 quia participauerunt & cohaeserunt illi,
 qui ait: *Ego sum via & veritas & vita;*
 A 5 (Io.

32. rapida vertigine circumferri) Editi: rap. vert.
in medio circumferri.

33. putant) Editi: *putent.*

recedere videntur) Editi: videntur recedere.

34. quis ferat audire?) Editi: audire quis ferat?
 docti nostri) Editi: *doctor noster.*

35. spiritu inflati) Editi: *inflati spiritu.*

pauperes spiritu) Editi: *ac* } pauperes spiritu.
& }

36. Domine Pater) Editi: *Pater Domine.*
 quia abscondisti) Editi: *qui absc.*

(Io. 14. v. 6.) a quo etiam intus didicerunt, quod de sacramento hoc, quo de agimus, foris docuerunt. ³⁸ Audierunt enim eum de se ipso in euangelio ita praedicantem: *Ego sum panis viuus, qui de coelo descendi, si quis manducauerit de hoc pane, uiuet in aeternum:* (Io. 6. v. 51.) ³⁹ *Et panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita.* (Matth. 26. v. 26.) ⁴⁰ *Dabo, inquit, non ait: dedi.* Quando ergo dare coepit? Quando pridie quam pateretur, accepit panem *Et eleuatis oculis in coelum, gratias agens, benedixit, ac fregit, Et dedit discipulis suis, dicens:* (Marc. 14. v. 22.) ⁴¹ *Accipite, Et comedite: hoc est corpus meum. Similiter Et calicem, postquam coenauit, dicens. Accipite, Et bibite ex eo omnes. Hoc est calix sanguinis mei, qui pro uobis, Et pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.* (Luc. 22. v. 17.) ⁴² Quis hoc ita esse non credit, nisi qui aut Christo non credit, aut ipsum hoc dixisse non credit? Sed de incredulis nihil ad nos. ⁴³ Dixisse autem hoc Christum, testes non duo tantum, aut tres, *in quibus stat omne uerbum,* (Matth. 18. v. 16.)
cer-

37. a quo etiam) Editi: *de quo etiam.*
quo de agimus) Editi: *de quo agimus.*
38. ita praedicantem) Editi: *praedicantem.*
40. dare coepit?) Editi: *coepit dare?*
ac fregit & dedit) Editi: *fregit, dedit.*
41. Hoc est calix) Editi: *Hic est calix.*
43. Hoc Christum) Editi: *Christum.*

sed quatuor certissimi probatissimique existunt. ⁴⁴ Quintus quoque non minus idoneus Dominus, inquit, Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: ⁴⁵ Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. (1 Cor. 11. v. 23-26.) ⁴⁶ Qui enim in principio dixit: Fiat lux, & facta est lux (Gen. 1. v. 3.) de potuit

certissimi probatissimique) Editi: probatissimi certissimique

existunt) Post verbum: existunt, sequentia leguntur in editis: duo scilicet ex circumcissione, & duo ex praeputio, ut uterque populus suis ac legitimis auctoritatibus, siue ad salutem, siue ad iudicium uteretur. Dixit utique, dixit ille, qui (Ps. 148. v. 5.) dixit & facta sunt. Qui enim cet. Contra omittunt omnes impressi verba de quinto teste, codici nostro recte inserta, eo, quod Paulinum testimonium sine dubio non praetermisit Adelmannus. E circumcissione testes euocat Matthaeum & Ioannem (cuius testimonium de Christo, pane vitae, cap. VI. v. 48. sqq. reliquis adiunxit) & ex praeputio, Marcum & Lucam. Quod si verba librorum impressorum, cum codicis nostri verbis iungerentur, fortasse existeret integra scriptoris sententia, hac quidem ratione: duo scil. ex — uteretur. Quintus quoque — commemorationem. Dixit utique — facta sunt. Qui enim cet.

46. in principio dixit) Editi; dixit in principio.

nihilo; non potuit, dicendo de pane: *boc est corpus meum*, ita fieri efficere? ⁴⁷ Et qui tacita virtute aquam vertit in vinum, non efficacius poterat, (si quid tamen de eo efficacius dici debet,) sonante vocaliter eadem virtute, vinum ipsum in sanguinem suum transferre? ⁴⁸ Quod si quis apud se dicat, potuisse hoc facere vnum illum hominem qui etiam Deus erat; caeteris vero, qui hoc non sunt, impossibile esse; nos quoque cum eo sentimus, sic tamen, vt per ministerium humanum, Christum ipsum operari fateamur. ⁴⁹ Dixerat enim, cum adhuc esset cum hominibus mortalis: *Sine me nihil potestis facere*; (Io. 15. v. 5.) & immortalis effectus, cum coelos ascensurus esset corporaliter, *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem saeculi.* (Matth. 28. v. 20.) ⁵⁰ Quia enim ex duabus diuersis naturis, altera circumscripta, altera incircumscripta comperfonatus erat; per circumscriptam de loco ad locum transmigrabat, per incircumscriptam vero,

47. de eo) Editi: de *Deo*.

de eo efficacius) Editi: *efficacius de Deo*.

48. hoc non sunt) Editi: hoc non *sint*.

per ministerium) Codex; per *mysterium*.

49. ascensurus esset corporaliter) Editi: *asc. corp. esset*.

50. diuersis naturis) Editi: *nat. diuers.*

comperfonatus erat) Vocem *erat* recte assumfit in contextum Galeardus. Deest in editt. Lovan. Lugd. & Siberi.

vero, qua illocaliter vbique est totus, cum eis remanebat, nec tamen filium Dei a filio hominis separabat. ⁵¹ Denique & priusquam filius hominis actu ascenderat in coelum, cum filio Dei ibi erat, ipso attestante, ubi ait: *Et nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit filius hominis, qui est in coelo.* (Io. 3. v. 13.) ⁵² Si ergo ibi erat per unitatem personae. qui nondum ascenderat per proprietatem naturae: propter eandem unitatem, coelum ascendens, cum hominibus in terra remanebat. ⁵³ Quis enim alius dicebat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (Act. 9. v. 4.) Neque enim putandus est angelus ei pro Christo apparuisse, cum ipse Saulus, effectus postea Paulus, dicat: *Nouissime omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.* Et alio loco: *Nonne dominum Iesum Christum vidi?* (1 Cor. 9 v. 1.) ⁵⁴ Aut vero Saulus adhuc infidelis raptus est in coelum, vt illic ei Christus loqueretur; aut ipse

51. ascenderat in coelum) Editi: *ascenderet.* Et in codice nostro superscripta adparet litera: e, τω a.

qui de coelo descendit) Editi: *qui descendit de coelo.*

52. qui nondum) Editi: *quo nondum.*

53. Neque enim putandus) Editi: *Neque putandus.*

angelus ei) Editi: *ei angelus.*

effectus postea Paulus) Editi: *effectus Paulus postea.*

ipse Christus descendit e coelo, quod semel tantum fieri oportet in voce archangeli & in tuba Dei, *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei & procedent.* (Io. 5. v. 28.)

⁵⁵ Ipse ergo cum hominibus manens, & homines baptizat per homines, & consecrat quicquid per homines consecratur. Vtrumque enim in euangelio habemus, & quod Iesus baptizaret, & quod non ipse baptizaret, sed discipuli eius. ⁵⁶ Baptizat nimirum,

quia, quando corpus sub quibusdam verbis solemnibus in aqua mersatur, ipse animam mortuam, peccata remittendo, viuificat,

⁵⁷ sicut in euangelio loquitur: *Sed venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, uiuent;* (Io. 5. v. 25.)

quod non nisi de resurrectione animarum accipi potest. ⁵⁸ Baptizat & homo, per cuius manus & linguam opus illud administratur:

& maxime ac principaliter ille baptizat, qui vim & efficientiam totam praestat. ⁵⁹ Pro-

pter

54. & procedent) Siberus: procedent. Alia quippe interpunctione: In tuba Dei, *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, procedent?*

55. Ipse ergo) Editi: Ipse igitur.

manens) Editi: manens *semper.*

non ipse baptizaret) Editi: *ipse non baptizaret.*

57. Sed venit hora) Editi: Venit hora.

58. & maxime ac principaliter) Editi: *sed max. ac princ.*

pter quod dictum est Ioanni Baptistae: *Super quem videritis spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat* (Io. 1. v. 33.)

60 Alioquin baptismus vnus non esset, sed, prout meritum hominis se haberet, alius dignior, alius indignior fieret, & quem homo sanctior baptizaret, ille melius baptizatus esset. 61 Sed absit! quia quicumque baptizat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, dignus aut indignus, sanctus aut peccator, catholicus aut hereticus, nihil interest; quoniam ministerium illorum est, nec ab eis, sed super eos, qui recte loqui volumus, baptizatur 62 Christus igitur, per manum & os sacerdotis, baptizat; Christus per manum & os sacerdotis corpus & sanguinem suum creat. *An experimentum eius quaeritis qui in me loquitur Christus?* (2 Cor. 13. v. 3.) 63 Dicebat hoc quidem apostolus non arroganter se efferendo, sed veraciter docendo, Christum in ministris suis loqui, quod ipsi loqui

60. meritum hominis se haberet) Editi: meritum se haberet *baptizantis*.

61. dignus aut indignus) Editi: dignus *an* indignus.

ministerium illorum est) Editi: ministerium illorum *tantummodo* est.

sed super eos) Editi: sed *per* eos.

qui recte) Editi: *si* recte.

62 eius quaeritis) Editi: *quaeritis eius*.

63. hoc quidem) Editi: *quidem hoc*.

loqui) Editi: & loqui.

loqui audiuntur, & operari, quae ipsi face-
re videntur, propter quod *sacerdos est in aeter-
num*, (Ps. 110. v. 4.) quia ipse est qui bapti-
zat & qui immolat. ⁶⁴ Nam quod semel
fecit passibiliter per semetipsum, id cottidie
agit impassibiliter per eos, quibus *potestatem
dedit, filios Dei fieri.* (Io. 1. v. 12.) ⁶⁵ Nec ali-
ter melius posse intelligi puto, quod aposto-
lus de illo ait: *Qui est ad dexteram Dei, qui
etiam interpellat pro nobis,* (Rom. 8. v. 34.) quam
vt interpellatio ista fiat, non verba proferen-
do, sed obedientiam atque humanitatem
suam, per commemorationem passionis, Deo
patri commendando. ⁶⁶ Hoc quoque in
eiusdem sacramenti institutione, cum iam
sub articulo ipsius passionis agonizaret, &
ad dolores carnis mox futuros praescio spiri-
tu pauitaret; hoc, inquam, certissimum pi-
gnus sui, dilectis discipulis relinquens: *Hoc
facite,* inquit, *in meam commemorationem;*
(Luc. 22. v. 19) ⁶⁷ commemorationem caritatis
erga vos, pro quibus animam meam pono,
& obedientiae apud patrem, quia *sicut man-
datum dedit mihi pater, sic facio.* (Io. 14. v. 31.)
⁶⁸ Quod si quos mouet, cur hoc sacramen-
tum non visibiliter transmutetur in speciem
carnis

64. potestatem dedit) Editi *dedit potestatem.*

65. ad dexteram Dei) Editi: ad dexteram *Patris.*

67. commemorationem caritatis) Editi: comm.
inquam carit.

carnis & sanguinis, attendant hoc, quod apostolus ait: *Per fidem, inquit, ambulamus, & non per speciem.* (2 Cor. 5. v. 7.) 69 *Est autem fides, sicut ipse definit, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* (Hebr. 11. v. 1.) Si enim, quod intus sunt sacramenta, foris ostenderent, *fides ex qua iustus viuit,* (Hebr. 10. v. 38.) non solum otiosa, verum nulla omnino esset. 70 *Quod enim videt quis, quid sperat?* (Rom 8. v. 24) Vt ergo fides exerceatur, credendo quod non apparet, vitale sacramentum sub specie corporea, vt anima in corpore, vtiliter latet. 71 Denique & baptismus, aqua quaelibet, oculis intuentium

68. attendant hoc, quod) Editi: attendant quod. Per fidem, inquit, ambulamus) Editi: Per fidem ambul.

69. Sicut ipse) Col. Lugd. & Sib. vt ipsi. ipse definit) Editi: ipse definiuit.

Si enim quod) Editi: Si enim id quod. sacramenta foris) Editi: foris sacramenta.

70. quid sperat?) Consentit cum codice nostro Louaniensis editor & Galeardus. Reliqui editi omnes: *quid sperat?*

vt anima in corpore, vtiliter latet) Editi: vtil. lat. vt an in corp.

vtiliter) Colon Lugd. & Siberi aditt. mendose legunt: *viriliter.*

71. baptismus aqua quaelibet) sic codex, editt. Louan & Gal. Reliqui editi male: *baptismi aqua quaelibet.*

B

entium & non intelligentium videtur, & homo baptizatus quid aliud, quam quod erat antea, apparet? Non enim ex nigro albus, aut ex illiterato grammaticus per lauacrum regenerationis efficitur. ⁷² *O animalis homo, qui non percipit ea quae Dei sunt!* (1 Cor. 2. v. 14.) O caro carnalibus phantasiis magis quam vino ebria! quousque ab his tam infeliciter ludificaberis? ⁷³ Non enim similis est hic error denegatione salutis animarum, aut illusionibus somniorum, aut de aquis, & speculis resultantium imaginationum: quia ibi sine periculo fallitur, hic cum detrimento irrecuperabili, nisi resipiscatur, erratur. ⁷⁴ Expergiscere ergo & clama: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (Rom. 7. v. 24.) Et respondebit tibi consolatio apostolica: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* (ibid. v. 25.) ⁷⁵ Quod etsi credimus verum esse, non liberabit hominem, non solum a molestia spiritualis pugnae, (quam

- oculis intuentium & non intelligentium videtur)
 Editi: oculis intuentium videtur.
 quod erat antea) Editi: *quod antea erat.*
 73. denegatione salutis animarum) Editi Louan.
denegatio salutis animarum. Quam lectionem &
 Galeardus in contextum recepit. Reliqui editi:
denegationi sal. an.
 74. consolatio apostolica) Editi: *apostolica conf.*
 75. non liberabit hominem) Editi: *non liberabit*
hominem.

(quam hoc in loco mortem appellat) sed nec a miseria errorum, nisi gratia Dei, per Iesum Christum; Dominum nostrum. ⁷⁶ Melius tamen id intelligemus, si humanae naturae concretionem & vim, quae nimirum in sensu corporis & animi intellectu tota constat, diligenter inspiciamus, & quid per utrumque, quidue per alterutrum valeat, breuiter perstringamus. ⁷⁷ Sunt namque multa, quae solo sensu corporis agimus, sicut videre & audire: pleraque, sicut scribere & legere, quae communiter sensus cum intellectu administrat: plurima vero, ad quae sensui nullus prorsus accessus esse potest, sicut ad rationem numerorum, ad proportiones sonorum, & omnino ad notiones rerum incorporearum. ⁷⁸ Quae omnia non quilibet intellectus, sed purus, atque etiam usu limatus, percipere meretur. ⁷⁹ Nec me fugit prima illa, quae duas potentias istas praecedit, sed ad hoc nostrum institutum nihil mihi visa est attinere, & curandum est, ne

B 2

lon-

76. intelligemus) Editi; *intelligimus.*
 77. videre & audire) Editi: *audire & videre.*
 Scribere & legere) Editi: *leg. & scrib.*
 ad notiones) Editi: *ad notiones.*
 78. non quilibet) Editi: *quilibet.*
 79. prima illa) Editi: *illa prima.*
 duas potentias istas) Editi: *duas istas pot.*
 ad hoc nostrum institutum) *ad nostrum instit.*
 nihil mihi visa est) Codex: *mibi visa est.* Editi:
nihil visa est. Excidit forte librario vocula: *nihil.*

longiore, quam oportet, vtamur digressio-
 ne. ⁸⁰ Conamur enim, adiuuante diuina
 gratia, ostendere, quod nulla humana facul-
 tas, quae & ipsa est diuina largitas, nequa-
 quam tamen sufficiens sit, quamlibet se ex-
 tendat, ad comprehendendam altitudinem
 sacramentorum, quibus viuificamur & per-
 ficimur ad aeternam salutem, quae est in
 Christo Iesu, Domino nostro. ⁸¹ Propona-
 mus itaque baptismum ipsum, &, quid ibi
 sensus, quid ratio deprehendat, videamus.
⁸² Liquorem esse aliquem, tactus interroga-
 tus pronunciat: visus, si forte in vase est,
 quisnam liquor sic, addubitat: sed gustus,
 tamquam tertius testis adhibitus, aquam es-
 se, incunctanter explorat. Vltorius, ni fal-
 lor, hac in re officium suum sensus non pol-
 licetur. ⁸³ At ratio longe longeque pene-
 trat vltorius, naturamque insensibilem per-
 spicaciter intuetur. ⁸⁴ Haec mobilem atque
 obtusam esse, humidam substantialiter, fri-
 gidam naturaliter, in aërem, siue in terram
 conuerti eam, possibile esse: & si quid ad-
 huc aliud, quod nouimus aut ignoramus,
 de

80. quae & ipsa) Editi: quae plane & ipsa.

80. quibus viuificamur) Editi: quibus initiamur.

82. tactus interrogatus) Editi: interrog. tactus.
 ni fallor) Editi: nisi fallor.

83. longe longeque) Editi: longe lateque.

84. Haec mobilem) Editi: hoc est, mobilem.

de natura aquarum indagare potes. ⁸⁵ Quo-
modo autem per aquam & spiritum anima
regeneretur. peccatorumque remissio tribua-
tur, sicut sensus carnis paulo ante dicebatur
non posse ad rationis excellentiam ascende-
re, ita profecto, & minus forsitan, valet ra-
tio ad hoc inscrutabile arcanum aspirare.
⁸⁶ Et tamen firmiter tenemus, verissimeque
confitemur, animam incorpoream per aquam
corpoream renasci, atque in eum statum, in
quo fuerat Adam nondum praeuaricator, re-
parari; ⁸⁷ Deum quoque ipsum, cuius emi-
nentia omnem superat intellectum, non so-
lum esse, (quod & infideles fatentur) verum
etiam vnum, eundemque trium personarum,
incircumscriptum, vbique inlocaliter totum;
neque tamen sensu aut ratione hoc habemus
comprehensum. ⁸⁸ Vnde ergo id percipi-
mus?

B 3

mus?

indagare potes.) Editi: *indagari potest.*

85. dicebatur) Editi: *docebatur.*

86. verissimeque fatemur) Editi: *verissime confi-
temur.*

nondum praeuaricator) Editi: *nondum praeua-
ritans.*

87. cuius eminentia) Editi: *cuius aenigma.*

non solum esse) Editi: *non solum nouimus esse.*

quod & infideles) Editi: *quod infideles.*

fatentur) Editi plurimi minus recte: *fateantur.*

hoc habemus comprehensum) Editi: *habemus hoc
comprehensum.*

Huc vsque editi. Reliqua e codice sunt suppleta.

mus? & quid amplius, quam animal rationale fumus? ⁸⁶ Hic prorsus euigila, atque animaduerte, praeter sensum & rationem, tertium quoddam praestantius, quo Deum ipsum attingere possumus, nos habere, non innatum, sed ex gratia Dei collatum, ⁹⁰ hoc vero esse Fidem Christianam. Quo bono, nihil melius nihilque beatius in hac vita humano generi potuit prouenire; ⁹¹ quod ipse mediator Dei & hominum, omnem naturam tam creatam quam creatricem in se ipso gerens, quando voluit & quibus voluit, non quibus debuit, (*alioquin gratia iam non esset*) gratia prorogauit. ⁹² Hac duce nocturna, vt ait Tullius de cynosura, fidenter atque inerranter dirigimur per mare huius saeculi non portuosum & densissima errorum caligine vndique circumfusum. ⁹³ Hic plane thesaurus ille est, quem *a sapientibus & prudentibus abscondit & reuelauit paruulis*; & haec est illa gratia Dei, qua se apostolus liberandum esse confidit per Iesum Christum, Dominum nostrum. ⁹⁴ Cuius quidem fidei quantas laudes quantaque praeconia in epistola ad Hebraeos exsequatur, longum est, occupatissimo & properanti ad calcem epistolae, pertractare. ⁹⁵ Satis iam mihi videor, si forte & tibi videar, id quod tantopere moliebar, exsecutus esse, siquidem: Vt sacramenta Christiana non sint humana ratione,

cui

cui impossibile est ea comprehendere, discutienda, sed Fide, hoc est diuino illo munere, immobiliter retinenda. ⁹⁶ Nam cum in baptismo nihil amplius quam aquam sensus & ratio deprehendat, fides introrsum descendens, virtutem in eo viuificam perspicit atque simpliciter intuetur. Ideo autem dixi: simpliciter; quia nullo modo melius, quam simpliciter fides custoditur. ⁹⁷ Odit enim Dominus nimios scrutatores; quod in patre Ioannis Baptistae declaratur, & in eo qui baptismi mysterium curiosius inuestigans, graui repulsus eulogio audiuit: *Tu es magister in Israel, & haec ignoras?* (Io. 3 v. 10.) ⁹⁸ Sed scatet semper humanus animus, & eorum maxime, qui per philosophiam & inanem quandam fallaciam magnum aliquid sibi esse videntur, gestiens rerum omnium causas & rationes enucleatim decerpere, ⁹⁹ quod tamen, sicut de creaturae statu atque habitu non est superfluum, ita prorsus de creatoris sensu atque consilio, nimis est temerarium. *Quis enim cognouit sensum Domini?* (Rom. I .v.34.) ¹⁰⁰ Attamen iidem doctores pompatici auditores suos a sensibilibus ad intelligibilia magnopere auocare solent, voluntque eos, auctoritate sua contentos, multa quae nec dum intellegunt, credere. ¹⁰¹ Quanto igitur aequius est, nos terrigenas vermiculos, coelesti magistro subiici, eique per omnia credulos

dulos esse, qui tam falli, quam fallere nescius, quia veritas est, omnia quaecunque vult facit, quia omnipotens est? ¹⁰² Et reuera, quid magnum est creatori, panem in corpus suum inuisibiliter conuertere, quem cottidie in corpus nostrum inuisibiliter facit transire? ¹⁰³ Vnde enim caro, vnde ossa & nerui, nisi ex cibis variis, quibus, vt scimus, in id molis ac roboris surrexerunt? Vnde vero sanguis atque humores caeteri, quibus corpora nostra perluuntur, nisi ex his, quae potando haurimus? ¹⁰⁴ Quod cum nemo dubitet verum esse, nemo tamen, quomodo fiat, villo sensu corporeo deprehendere valet. Ideo apostolus, propheticum testimonium sibi aduocans, *Iustus inquit, ex fide viuit.* (Rom. 1. v. 17.) Et ipse Dominus, titubanti discipulo visu & tactu satisfaciens, ait: *Quia vidisti me, credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt!* (Io. 20. v. 29.) ¹⁰⁵ Si ergo beati qui credunt, miseri sine dubio, qui non credunt. Quod ne simus, credamus, frater, quicquid de salutaribus sacramentis, animarum nostrarum medicus nobis ordinauit, qui plagas illas, a latronibus impositas, quas sacerdos & leuita sibi prorsus incurabiles praeterierant, hic Samaritanus noster curare descendens, Sacramenta ista, velut antidota quaedam & cataplasmata, praeparauit; ¹⁰⁶ sine quibus vitam & salutem
aeter-

aeternam impossibile est nobis conferri, vt beatus pater Augustinus in libro baptismo-
rum paruulorum ait: ¹⁰⁷ Optime, inquit, Pu-
nici Christiani baptismum ipsum nihil aliud, quam
SALVTEM, & sacramentum corporis Christi ni-
hil aliud, quam VITAM vocant. Vnde? nisi,
quia ex antiqua, existimo, & apostolica traditio-
ne didicerunt, praeter baptismum & participatio-
nem mensae Dominicae, non solum ad regnum
Dei, sed nec ad salutem aeternam posse quenquam
hominem peruenire. ¹⁰⁸ Hoc doctor magnifi-
centissimus. Quem nos pueri sequentes, li-
cet non passibus aequis, eadem tamen via
gradientes, credamus, corde & ore confitea-
mur, verum corpus Christi esse, quod inui-
sibili virtute Christi, per visibile ministe-
rium sacerdotis, de pane materiali creatur.
¹⁰⁹ Credamus etiam, omnes renatos ex aqua
& spiritu, hoc fumentes, ipsi Christo in-
corporari. Qualiter autem incorporentur,
etsi impossibile est ratione probari, vsu ta-
men rerum domesticarum perfacile est credi.
¹¹⁰ Si enim sal, piper, siue aliud ferment-
tum, massam quamlibet corripuens, ita eam
vi propria penetrat, vt in suum saporem to-
tam conuertat: cur incredibile videatur, tan-
to hoc tamque efficaci sacramento, totum ho-
minem in melius permutari, nisi eum, qui iu-
diciu[m] sibi manducat & bibit, non diiudicans cor-
pus & sanguinem Domini? (1-Cor. 11. v. 29.)

¹¹¹ Magnum vero, dicat apud se aliquis, si tamen multiplex est corpus Christi! Magnum & mirificum est, quod credatur & in coelo immortaliter regnare, & in terra, variis corruptionibus obnoxium, mortaliter laborare! hoc quippe est beatum & miserum simul esse! ¹¹² Ita plane est. Habemus enim utriusque rei firmissimum documentum. Nam cum apostolus de membris Christi, hoc est fidelibus, loqueretur, *Sicut inquit, corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus, sic & Christus.* (1 Cor. 12. v. 12.) ¹¹³ Ecce quomodo corpus & caput unum facit, utrumque scilicet appellans. Qui forsitan est & ille vir, de quo alibi dicit: *Donec omnes occurramus in virum perfectum.* (Eph. 4. v. 3.) Non ait: in viros perfectos, sed in virum perfectum. ¹¹⁴ Cuius viri caput est ipse, qui natus ex Maria virgine, mortuus est & resurrexit; membra vero omnes electi, ab initio usque ad consummationem saeculi. ¹¹⁵ Et quemadmodum in capite corporis nostri sensus omnes ipsaque ratio versatur, in caetero tamen corpore solus tactus, membris singulis officia singula sortitis, inuenitur, ita nimirum de ipso capite nostro apostolus. *In quo sunt, ait, omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi.* (Col. 2. v. 3.) ¹¹⁶ Et item: *In ipso, inquit, habitat omnis plenitudo diuinitatis corpo-*
rali-

valiter. (Col. 2. v. 9) Utque hanc similitudinem comprobaret, paulo ante praemisit: *Et ipse est caput corporis ecclesiae.* (Col. 1. v. 18.)
¹¹⁷ De membris porro sic loquitur: *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* (Eph. 4. v. 7.) Idem quoque ipse, verum profecto membrum illius capitis, de semet ipso dicit: *Vt suppleam, inquit, ea, quae desunt passionum Christi in carne mea.* (Col. 1. v. 24.)
¹¹⁸ Passiones utique Christi, ea, quae Paulus ipse patiebatur, vocans. Christus igitur patiebatur in Paulo, crucifigebatur in Petro, Petrus & Paulus in Cristo conuersabantur in coelo.
¹¹⁹ *Nostra, inquit, conuersatio in coelis est.* (Phil. 3. v. 20.) Et alibi multo fiducialius: *Qui conuiuificauit nos, inquit, & confedere fecit in coelestibus in Christo.* (Eph. 2. v. 5.)
¹²⁰ Mirum sane! Adhuc colapbi-
zabatur ab angelo Satanae in terra, & tamen gloriatur, se conrefuscitatum confedere in coelestibus in Christo. Sed propter illam vnionem atque compagem membrorum hoc dicit.
¹²¹ Quam alibi euidentius commemorans, *Si patitur, inquit, vnum membrum, compatiuntur & omnia membra; & si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* (1 Cor. 12. v. 26.)
¹²² Hoc quoque ipse Dominus in euangelio saepe facit. Cum enim dicit: *Ego sum vitis, & vos palmites,* (Io. 15. v. 5.)
& nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum

tuum

*uum fuerit, ipsum solum manet; si autem mor-
 tuum fuerit, multum fructum affert, (Io. 12. v. 24.)*
¹²³ quid per has similitudines, nisi eandem
 compagem insinuat? quam ipse mem-
 bris suis tanta benignitate dignatus est con-
 ferre, ut eis gloriam suam contulerit, &
 ipsorum vicissim iniurias in se transferre nul-
 lo discrimine voluerit, excepto quod, sicut
 vitis & palmites, cum sint vnum lignum,
 non tamen vitis a palmitibus quicquam acci-
 pit, sed ipsa palmitibus, id vnde fructifi-
 cent, immittit: ¹²⁴ & multa grana frumen-
 ti, ex vno prodeuntia, quamquam id ipsum
 sint omnia, debent tamen vni illi, quod sunt,
 tanquam principio, nihil autem ipsum illis.
¹²⁵ *Gratia, inquit, Dei sum, id quod sum,*
 (1 Cor. 15. v. 10.) quidam fructuosus palmes &
 granum fructiferum. Ita ipse, nihil aliun-
 de mutuatus, quicquid in quolibet sancto-
 rum boni est, inspirando immittit, & ad-
 iuuando perficit. ¹²⁶ Pertinere etiam ad hoc
 videtur visio illa Nabuchodonosor regis, de
 lapide paruo, id est, de Christo, *qui de
 monte sine manibus abscisus, (Dan. 2. v. 34.) idem
 absque semine humano generatus, creuit in
 montem magnum, & totam terram impleuit (ib. v. 35.)*
¹²⁷ De monte abscisus creuit in montem, quia
 corpus, quod de massa humani generis mo-
 dicum assumpsit, accedente vndique fidelium
 numero, in immensum sese dilatans, cref-
 cere

cere usque in finem saeculi, donec totam terram impleat, non desistit. ¹²⁸ Hoc igitur, iam in ipso capite plene perfecteque glorificatum, deinde in quibusdam membris, de quibus scriptum est, *multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, (Matth. 27. v. 52.) et bene beateque in coelo recumbunt. ¹²⁹ In aliis vero adhuc laborat, vitam quippe hanc mortalem agentibus, in corpore isto tanquam in carcere morantibus, *gementibus dissolui, & esse cum Christo cupientibus*. (Phil. 1. v. 23.) ¹³⁰ Sunt praeterea & alia eiusdem maximi & vere gigantei corporis membra, (neque enim frustra de illo cantatur in psalmo: *Exultavit ut gigas*) (Ps. 19. v. 6.) quae, tametsi exuta penitus omni labe corporea, feliciter gloriantur, adhuc tamen beatificata auctius, resuscitatis in fine, coaptatisque denuo corporibus immortaliter victuris, spem firmissimam praestolantur. ¹³¹ Et hanc forte diuersitatem partium, quibus corpus hoc mirabile est confertum, intuebatur psalmista, *eructans in spiritu verbum*: (Ps. 45. v. 1.) *Astitit, inquit, regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate*. (ib. v. 10.) ¹³² Quae est enim regina, nisi sponsa regis illius, de quo protinus subinfertur: *Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus?* (ib. v. 12.) ¹³³ Etenim rex ipse est Deus, ipse sponsus, ipse caput eius: haec porro est ecclesia ip-
fius,

sius, ancilla per naturam, sponfa vero & cor-
 pus effecta per gratiam, impleto sacramen-
 to, quod a saeculo promissum erat: *Erunt*
duo in carne vna. (Gen. 2. v. 24.) ¹³⁴ Quae nimi-
 rum *circumdata est varietate* membrorum, alio-
 rum regnantium atque epulantium, aliorum
 aegrotantium, in lacrumis feminantium, re-
 demtionemque corporis sui expectantium.
¹³⁵ Sed hoc non semper; alioquin nihil vs-
 quam miserabilius esset. Quam diu ergo? &
 quousque? Interim *dum rex in accubitu suo iacet,*
 (Cantic. 1. v. 12.) *moram quidem faciens,* (2 Pet. 3.
 v. 9.) sed plane venturus. ¹³⁶ Qui cum ap-
 paruerit, *ipsius vita,* tunc & *illa apparebit cum*
ipso in gloria; (Col. 3. v. 4.) tunc denique va-
 rietas illa penitus auferetur, cum, *absorpta*
morte in victoria, (1 Cor. 15. v. 54.) totum hoc
 corpus beata immortalitate vestietur, mem-
 braque omnia, capiti suo configurata, pro-
 prio mutuoque decore vnanimiter congau-
 debunt. ¹³⁷ Dominus quoque Iesus tradi-
 to regno Deo & Patri, *euacuataque omni virtute*
& potestate, (Ib. v. 22.) *exhibebit sibi ecclesiam, non*
habentem maculam, neque rugam, aut quicquam
eiusmodi, (Eph. 5. v. 27.) & *erit Deus omnia in*
omnibus. (1 Cor. 15. v. 28.) ¹³⁸ Poterat hoc la-
 tius atque limatius pertractari; poterant ex-
 empla euangelica atque apostolica, in id
 ipsum consonantia, cumulatissime aduocari,
 sed & ex voluminibus orthodoxorum patrum
 multa

multa testimoniorum turba, multos nimirum codices impletura, ad medium deduci. Et fecissem quidem, si talium infueto, ac tantum saecularibus litteris armato, opusculum hoc condidissem. ¹³⁹ Sed audiui, iam pridem te illis valefecisse, atque sacris lectionibus sedulo insudare, ut mirum atque etiam incredibile videatur, tale quippiam abs te oriri potuisse, nisi, quod aiunt (ut pace tua dixerim) te, nouitatum captatorem, veteres accusare, atque probatissimos scriptores artium exauctorare, adeo ut Priscianum, Donatum, Boëtium prorsus contempnas, multaque eorum dicta, quae, eruditorum omnium usu comprobante, ad nos usque demanarunt, opposita auctoritate tua, euertere coneris. ¹⁴⁰ Quae res tametsi plena est audaciae pernicitatis, utcumque tamen ferri tolerabilius potest, quoniam ad salutem aeternam nullum forte aut certe minimum discrimen habet. ¹⁴¹ Quicquid autem est, in quo fides periclitatur quae nos ducit ad vitam, id omni animae, volenti pie viuere in Christo Iesu, cautissime est a se repellendum, in proximo, quantumuis coniunctissimo, acerrime impugnandum, seuerissimeque vindicandum, iuxta illud coelestis oraculi edictum: *Si oculus tuus, vel manus tua, vel pes tuus scandalizat te, erue, abscinde & proiice abs te.* (Matth. 5. v. 30.) Proinde cum audirem, saepe iuue-

iuuenes quosdam, qui ad nos descenderant, in claustris suis a praelatis eorum regulariter pulsatos esse, eo quod in lectionibus ecclesiasticis accentus tuos insolenter vsurparent, auresque fratrum, aliter imbutas, inusitatis quorundam verborum prolationibus offenderent, pro nihilo ducebam. ¹⁴³ Hoc autem genus blasphemiae nullo modo superfedendum putavi, primo vt deuiantem proximum corrigere tentarem, deinde ne (vt sunt homines ad detrahendum praecipites) ego errori illi affinis esse, ipso silentio existimarer. ¹⁴⁴ Hortor itaque fraternitatem tuam in Domino, si vitam diligis, quod indubitanter facis, si videre vis bonos dies, coërceas cor tuum & linguam tuam ab hoc malo, & agas poenitentiam, si nosti hac peste percussam esse conscientiam. ¹⁴⁵ Nec te deterreat pudor hominum, sed potius compellat illius terror qui ait: *Qui scandalizauerit unum de pusillis istis qui credunt in me, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* (Matth. 18. v. 6.) Si enim sic vindicatur, qui vnum scandalizat, quanto dignior est supplicio, qui ecclesiam totam conturbat? ¹⁴⁶ Nec tamen ille desperet. Absit enim, vt vlla moles, quamuis ingens, humanae prauitatis, obstruere posse putetur fontem diuinae bonitatis, quoniam *etsi peccatum abundat, sed desuper abundat*

das

dat gratia. (Rom. 5. v. 20.) ¹⁴⁷ Epistolam eandem, sed paulo largiorem, ecce iam secundo tibi mitto, quoniam, properante legato priore, propositam quaestionem: de tripartita Corporis Christi distinctione, commode expedire copia non fuit. ¹⁴⁸ Credo etiam

in manus tuas nondum illam peruenisse. Nequaquam silentium tam diu tenuisses, maxime obsecratus a me, per viscera misericordiae Dei nostri; quod & nunc itero, vt quantocyus rescriberes & refelleres ab animo meo scrupulum, diu anxieque infidentem. ¹⁴⁹

Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat cor tuum & intelligentiam tuam (Phil. 4. v. 7.) in pace catholica quiescentem! quam quisquis non amat, nec amet, nec ametur ab vlllo, nisi resipiscat.



C

BE-



BERENGARII AD ADELMAN-
NVM EPISTOLA.

Quod dicis, audisse te quia dixerim:
non esse verum Christi corpus
& sanguinem; vel panem & vinum
altaris non esse, a consecratione, ve-
rum Christi corpus & sanguinem,
noueris, me nunquam Manichaeorum ad-
misisse sententiam. ² Illi enim phantasticum,
ego verum & humanum corpus Christi fuisse,
& tenui & teneo; ego Christi corpus,
post expertam obedienter mortem, in im-
mor-

ANNOTATIONES.

1. Huius epistolae fragmenta, reperta in codice Gemblacensi, et ex illo primum protracta ab editoribus Thesauri Anecdotorum, Martene & Durando, leguntur ibi, ad annum Christi 1078. Insigniuntur autem in eodem codice hac inscriptione: IDEM BERINGERIUS IN PURGATORIA EPISTOLA CONTRA ADELMANNVM.
2. *Illi enim phantasticum, ego verum & humanum corpus Christi fuisse, & tenui, & teneo.* Idem dicit noster, in Refutatione iuramenti, quod, Gregorii VII. tempore, Romae, in templo Lateranensi, publice proposuerat ecclesiae: *Quod scripserunt de improprietate naturae & veritate substantiae, id contra me non scripserunt. Ego ita habebam:*
 „Panem & vinum, sacrata in altari, esse non
 „alius cuiusdam, sed proprium Christi corpus;
 „non phantasticum, sicut Manichaei, sed verum
 „& humanum.”

mortalitatem & impassibilitatem sublimatum, ad dextram Patris residere, non nescio; ego certissimum video, cum concedam, dari aliqua, vt Christi corpus fiat, concedendum mihi esse omnino, cum Christus non nisi verum corpus habuerit, vt etiam verum corpus Christi fiat: Concedo autem, panem & vinum altaris, post consecrationem, secundum scripturas, Christi fieri corpus & sanguinem, ac per hoc non concedere nullus possum, post consecrationem, ipsum³ panem & vinum facta esse, fidei & intellectui, verum Christi corpus & sanguinem. Corpus ergo Christi & sanguinem (res dico ipsas sacramentorum mensae dominicae, non ipsa sacramenta) nusquam scripturarum appellatas inueni, nusquam appellari Figuram, Similitudinem; Sacramenta autem ipsa,⁴ etiam Signa, Figuram, Similitudinem, Pignusque appellari, vtrum de praesumptionis meae opinione asseram, ipse diiudica.

Habes

3. *Panem & vinum facta esse, fidei & intellectui, verum Christi corpus & sanguinem.)* In eadem refutatione paullo distinctius haec verba exponit: *Panis sacratus, inquit, in altari, salua sua substantia, est corpus Christi. Id est, non amittens, quod erat; sed adsumens, quod non erat. Panis enim, ante Christi coenam, nunquam, nisi ad sustentationem corporis valuit: In coena illa, vt etiam ad salutem valeret animae, nutu sui creatoris, accepit.*
4. *Etiam signa)* Codex Gembl. ita etiam signa, Sed haec particula hic redundare videtur.

Habes enim in libro de ciuitate Dei ita Sacramentum interpretatum a B. Augustino, vt dicat: ⁵ *Sacramentum, id est, Sacrum signum.* Definitionem Signi habes, eodem auctore, in libro de doctrina Christiana: ⁶ *Signum est res, praeter speciem, quam ingerit sensibus, ex se faciens aliud in cognitionem venire.* Non ait: in manum, in os, in dentem; sed: IN COGNITIONEM. Item, quod etiam Similitudo sit omne Sacramentum, eundem auctorem habes, in epistola ad Bonifacium, vbi ait: ⁷ *Si sacramenta, rerum quarum sacramenta sunt, Similitudinem non haberent, omnino sacramenta non essent.* De Figura habes, eodem auctore, in titulo psalmi tertii, vbi ait: (loquens de Iuda) ⁸ *Eum adhibuit ad conuiuium,*

5. *Sacramentum, i. e. sacrum signum*) Augustinus de ciu. Dei, lib. X. cap. 5. Operum tomo V. pag. 298. Vsi sumus editione operum Augustini, Lugduni edita 1669. in fol.
6. *Signum est — in cognitionem venire*) Locus depromptus ex libro II. de doctrina Christiana. Opp. tomo III. pag. 6. Sed paullo aliter legitur in ista editione, atque hic citatur a Berengario: *aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.*
7. *Si sacramenta — sacramenta non essent*) Ex epistola ad Bonifacium de baptismo paruul. Opp. tomo II. pag. 29.
8. *Eum adhibuit — commendauit & tradidit*) Desumfit locum ex Augustini enarratione psalmi tertii. Opp. tomo VIII. pag. 4.

uium, in quo discipulis Figuram corporis & sanguinis sui commendauit & tradidit. Eodem modo B. Ambrosius in libro de Sacramentis: ⁹ Sicut, ait, Similitudinem mortis sumfisti, ita Similitudinem pretiosi sanguinis bibis. In eodem, ¹⁰ Fac, inquit, oblationem hanc rationabilem, quod est Figura corporis & sanguinis Domini nostri. Possem, si res in infinitum non abeat, quanta velit quisque, de scripturis subscribere. In scripturis enim patrum, ad quas me scripto tuo mittis, (ad quas utinam satis ipse accessisses!) luce publica eminet, circa quid admittat mensa dominica Figurae, Pignoris, Signi, Similitudinisque vocabulum, circa Sacramenta videlicet, non Res sacramentorum; cum constet nihilo minus, *verum Christi corpus* in ipsa mensa proponi, sed spiritualiter, interiori homini, *verum in ea Christi corpus*, ab his duntaxat, qui Christi membra

C 3

bra

9. Sicut — sanguinis bibis.) Ambrosius de sacramentis. lib. IV. cap. 4. Operum eius tomo IV. pag. 367. ex edit. Lutet. Paris. quae prodiit 1661. fol.

10. Fac oblationem hanc rationabilem, quod est Figura corporis & sanguinis Domini nostri) Ex eodem de sacramentis libro. cap. 5. Verba haec, editio nostra operum Ambrosii, sic exhibet: Dicit sacerdos: Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem: quod fit in figuram corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi.

bra sunt, incorruptum, ¹¹ inattaminatum, inattritumque, spiritualiter, manducari. Hoc patres publice praeconantur, aliudque esse corpus & sanguinem, aliud corporis & sanguinis sacramenta, non tacent; & vtrumque a piis, visibiliter Sacramentum, Rem sacramenti inuisibiliter, accipi; ab impiis autem tantum Sacramenta. ¹² Commendant nihilo minus tamen, sacramentum, secundum quendam modum, res ipsas esse, quarum sacramenta sunt; Vniuersaque ratio, vniuersa auctoritas exigit: Si constat, quod dixerit aliquis: *Hic panis est meum corpus*, vel, *Panis, quem frangimus, est Christi corpus*, eum constituisse modis omnibus, panis superesse, non absumentam esse, substantiam.

Sicut mihi constat, vulgus & Paschasium, ineptum illum monachum Corbientem, quam longissime dissentire ab Apostolo, Euangelio, & authenticis maiorum dictis, si moderatione Christiana admiseris, quae propitia diuinitate scripturus sum; constabit, & tibi constabit etiam, ipso auctore, qui ait: *Qui erubuerit me & meos sermones, erubescam & ego eum*

11. *Inattaminatum*) Vocabulum ab ecclesiae patribus crebro vsurpatum. *Inattaminatum* idem iis sonat, quod, *haud foedatum pollutumue*.

12. *Commendant nihilo minus*) Verbum *commendare* apud Berengarium habet eundem significatum, quem phrasis: *data opera ostendere, vel significare*.

eum coram patre meo. (Luc. 9 v. 26) Ea est autem vulgi & Paschafii non sententia, sed infania: „In altari portiunculam carnis dominicae etiam nunc manibus frangi, etiam nunc hominis exterioris dentibus atteri.” Contra ineptum istud ait Euangelista: *Accipit panem, benedixit (panem) fregit (panem) discipulis dedit (panem), dicens: Accipite, (panem.) Hoc est (haec res, hic panis) meum est corpus.* (Matth. 26.v.26.) Et Apostolus ait: *Panis, quem frangimus, corpus Christi est.* (I Cor. 10 v. 14.)

Aduersarii ergo, vulgus, & cum vulgo infanientes, Paschafius, Lanfrannus, & quicumque alii, ita causam intendebant: Panem & vinum, per corruptionem vel absumtionem sui, in particulam carnis Christi sensualiter transire & sanguinis. Mea, vel potius scripturarum causa ita erat: „Panem & vinum mensae dominicae non sensualiter, sed intellectualiter, non per absumtionem, sed per assumptionem, non in portiunculam carnis, contra scripturas, sed, secundum scripturas, in totum conuerti Christi corpus & sanguinem.” Hoc ego ratione, hoc secundum scripturas, constantissima firmabam auctoritate. Ratio, consulta intus veritate, quae menti humanae sola supereminet, renunciat: In conuersione rerum sensuali, id est, per corruptionem seu absumtionem
(qualis

(qualis fuit virgae Mosis, in serpentem, & serpentis, in virgam; molis corporeae vxoris Loth, in statuam falis; aquae nuptialis, in vinum; omniumque ciborum ac potuum, in carnem totius pene animalis & sanguinem) necessarium esse, ante corruptionem alterius, alterum non existere; corrupto nunc primum altero, alterum nunc primum posse incipere, ac per hoc, si secundum hoc conuersionis genus in altari res agitur, posse panem per corruptionem sui transire sensualiter, sed in eam, quae nunquam prius extiterit, carnem. Et quia Christi caro, sicut superius dictum est, per tot iam annos perfecta constans immortalitate, nunc primo ad corruptionem panis minime potest esse incipere, nihil in altari de carne Christi sensualiter haberi, omnino necessarium esse. Eadem ratio, sub iudice veritate, conuincit, verba domini, quibus ita enunciat: *Hic panis est corpus meum, vel Panis quem ego dedito, caro mea est, vt hoc accipiamus, sicut placet tibi, illa nihilominus apostoli Pauli, vbi ait: Panis quem frangimus, corpus Christi est, (1 Cor. 10. v. 16.) esse falsissima, si quis mensae dominicae panem atque vinum non superesse contendit, cum negare non possit, parte subruta vnde superiora satisfaciunt, totum etiam non consistere. Auctoritas non deerat euidentis & copiosa*
 (quan-

(quanquam etiam hoc contiguum sit rationi) euangelica & apostolica. Euangelista enim, & apostolus Paulus, sicut accepisse & benedixisse, ita etiam panem fregisse, Dominum, discipulisque dedisse panem nihilo minus; discipulosque ad iussum Domini, accepisse & comedisse, luce clarius indicant.

Quae verba B. Augustinus distinctione prosequitur: Sacramentorum, & Rerum quarum sacramenta sunt. Sicut in XXI. de ciuitate Dei, vbi ait; ¹³ Ostendit, quid sit, non sacramentotenus, sed re uera, Christi corpus manducare. Item in sermone quodam: ¹⁴ Huius rei sacramentum alicubi quotidie, alicubi certis interuallis temporum, de mensa Domini sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa, omni homini ad vitam, nulli ad exitium. Item in euangelio: ¹⁵ Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem etiamsi tantae rei sacramentum in iudicium sibi quotidie indifferenter accipiat.

C 5

Item

13. Ostendit — corpus manducare.) Libro XXI. de ciu. Dei. cap. 25. Operum tomo V. pag. 803.

14. Huius rei — nulli ad exitium) Exposit. Euangelii Ioannis. tract. XXVI. col. 2. Opp. tomo IX. pag. 78.

15. Ac per hoc — accipiat.) Ibid. paullo infra.

¹⁶ Item: *Qui manducauerit ex hoc pane, non morietur in aeternum. Sed quod pertinet ad Virtutem, id est, Rem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Sed nimis longum facio. Ad libros tantum, qui volet, accedat. Interpretatur autem Sacramentum B. Augustinus in X. de ciuitate Dei ita: ¹⁷ Sacramentum, id est, sacrum signum. Vim autem verbi, quod est *Sacrare*, ad religionem pertinere, notum est omnibus; &, noto dicendi genere, *Res in religione consecrata* non solum res consecrata vel sacrosancta, sed dicitur etiam ipsa *Sacratio*, vel *Sacramentum*. Sicut egregius aliquis, non solum iustus, sed etiam ipsa iustitia; non solum spiritualis vel coelestis, sed etiam coelum & spiritus: contraque impius non solum carnalis vel terrenus, sed caro & terra nominatur. Multis autem in locis non ad hanc interpretationem ponitur *Sacramentum*. *Sacramentum*, inquit apostolus, *hoc magnum est, ego dico in Christo & in ecclesia*, (Eph. 5. v. 32.) vbi in verbo *Sacramenti*, accipitur *allegoriae mysterium*. Secundum superiorem interpretationem definit B. Augustinus Sacramentum in quadam epistola:*

¹⁶. *Qui manducauerit — visibile sacramentum*) Ibid. paullo infra.

¹⁷. *Sacramentum, i. e. sacrum Signum*) De ciuitate Dei. lib. X. cap. 5. Operum tomo V. pag. 298.

stola: ¹⁸ *Sacramentum est inuisibilis gratiae visibilis forma*, in libro de catechisandis rudibus: ¹⁹ *Sacramentum est diuinae rei inuisibilis signaculum visibile*, in libro de poenitentia:
 Sacra-

18. *Sacramentum est inuisibilis gratiae visibilis forma*)
 Haesit fortasse hanc sacramenti finitionem ex epistola Augustini CLXVI. Operum tomo II. pag. 422. vbi de baptismo scribit: „Dei est illa „gratia & Dei sacramentum; hominis autem „solum ministerium, qui si bonus est, adhaeret „Deo, si autem malus est, operatur per illum „Deus visibilem sacramenti formam, ipse autem „donat inuisibilem gratiam.” Similis huic locus est in libro de catech rud. cap. 26. Translatam video hanc Augustini definitionem de sacramento cum aliis, etiam in Ius Canonicum. Distinct. II. de consecrat. Edit Boehmeri Tomo I. pag. 1148. Et Calvinus eandem inseruit Institutioni suae Relig. Christ. lib. IV. cap. 14. in qua plures tradit de sacramento descriptiones: „Vtramlibet, inquit, ex his definitionibus eligas, ab „illa Augustini, quae *Sacramentum esse* tradit rei „sacrae visibile signum, aut *inuisibilis gratiae „visibilem formam*, sensu nihil differt. cet.” Et Lutherus Comment. in Genesim cap. XVII. v. 3 & 4. de eadem hac definitione scribit: „Augustinus sacramentum definit, quod sit *Visibilis forma inuisibilis gratiae*, & recte definit, & simul „causam ostendit, quod fere contemnuntur sacramenta ab iis, qui ea habent propria.”

19. *Sacramentum est diuinae rei inuisibilis signaculum visibile*) De catechisandis rudibus cap. 26. Operum tomo IV. p. 27.

²⁰ *Sacramentum est diuini mysterii signaculum, in libro contra Faustum: ²¹ Non sunt aliud quaeque sacramenta corporalia, nisi quaedam quasi verba visibilia; sacrosancta quidem, sed tamen mutabilia & temporalia.*

Augustinus in libro de ciuitate Dei: ²² *Sacrificia visibilia, signa sunt inuisibilium, sicut verba sonantia, signa sunt rerum.* Signum etiam idem B. Augustinus definit in libro de doctrina Christiana: ²³ *Signum est res, praeter formam, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire.* Discutendum erat reuera, ratiocinandumque, vt hoc de sacramentis non opinione praesumeres, sed ratione; vel in ipsa veritate, vel in authenticarum scripturarum profecutione, animaduertes; hisque animaduersis, con-

20. *Sacramentum est diuini mysterii signaculum.*) Licet sedulo discufferim hac occasione operum Augustini volumina, tamen, quo in libro de poenitentia lateant verba haec, hucusque ignoro. Relinquamus sane etiam lectori aliquid operae, si haec scire, tanti putet.

21. *Non sunt — & temporalia.*) Libro XIX. contra Faustum. cap. 16. Operum tomo VI. p. 130.

22. *Sacrificia visib. — sunt rerum*) De ciu. Dei lib. X. cap. 19. Opp. tomo V. pag. 318.

23. *Signum est res — in cognit. venire*) De doctrina Christiana. lib. II. cap. I. Opp. tomo III. pag. 7.

24 contra eos qui se, quod manu tenent, amifisse queruntur, etiam circa hoc, tali ratiocinatione confisteres. „*Qui Sacramenta corporis, Sacramenta sanguinis, dicere non refugitis, sacramenta autem Signa esse, scripturis contradicere non potestis; aliud sacramentum corporis, aliud corpus; aliud sacramentum sanguinis, aliud sanguinem, necessario constituitis: mensaeque dominicae, cui vos putabatis deferre, pessime, contra ius, (dum in ea nihil esse, nisi portiunculam carnis ac sanguinis, non de ratione, cui soli ad veritatem ipsam patet accessus, non de auctoritate, sed de infania vulgi, Paschafii atque Lanfranci, vestrique cordis stupidissimi opinione proponitis) sacramenta subtrahitis; qui tamen, in ea ipsa mensa Domini, sacramentum corporis, sacramentum sanguinis, in infinitum citare non desistitis.*

24. *Contra eos, qui se, quod manu tenent, amifisse queruntur.)* Huius loci interpretes ipse est Berengarius, in iuramenti refutatione, quam supra citauimus. *Quisquis inquit, panem sacratum in altari substantialiter corpus Christi esse dixit, dixisse putatur: Panis subiectum de sacrificio Christi, per sui corruptionem, ablatum deesse; subiectum vero corporis Christi, per generationem subiecti sui, recens factum adesse. Cui falsitati tota ratio, tota contradicit auctoritas.*



VRSI

VRSINI DVRANDI
OBSERVATIO PRAEMISSA ACTIS CON-
CILII ROMANI SVB PAPA GREGO-
RIO SEPTIMO IN CAUSA
BERENGARII.*

Berengarii errorem de Eucharistia primum
 in concilio Romano anno Christi ML.
 proscriptum fuisse, eodem anno eundem in
 Synodo Vercellensi citatum, absentem dam-
 natum fuisse, demonstrat Mabillonius, in prae-
 fatione ad saeculum VI. Benedictinum, tomo
 II. Quo item anno Berengarius in conuentu
 Brionensi cum adfuisset, damnatus, pesti-
 ferum dogma retractavit: quod & praestitit
 post concilium Parisiense, Henrici regis iussu,
 eodem fere tempore, congregatum. Sed
 cum diu promissis non stetit, anno MLIV.
 sub Victore, aliud Florentiae concilium ha-
 bitum est, & alterum Turonis; in quo, co-
 ram sedis apostolicae legatis, haeresin suam
 eiuravit. Quibus duobus conciliis tertium
 Rotomagi sub Maurilio archiepiscopo, ac-
 cessit, in quo fides catholica de Eucharistia
 iterum asserta est. Tot conciliis conuictus
 Berengarius, victus non apparuit. Qua-
 propter anno MLVIII. Nicolaus Papa II, qui
 Victori II. & Stephano VIII. successerat,
 centum tredecim episcopis Romae conuoca-
 tis,

* Ex thesauro Anecdotorum, Tom, III, pag. 99.

tis, cum Berengarium citasset, ille peruersam doctrinam defendere non ausus, a pontifice, eiusque concilio, fidei formulam, quam teneri oporteret, postulans, traditam, iure iurando confirmavit; ac propria manu subscripsit. Verum, non diu postea, fidem iuratam violavit. Duobus elapsis annis amice praemonitus ab Alexandro papa II. vt resipisceret, ecclesiamque perturbare desineret, summi pontificis monitis perfracte acquiescere recusavit. Sequenti anno MLXII. errores ipsius Andegavis proscripti sunt. His omnibus emolliri non potuit indurata ipsius peruicacia. Vnde, cum anno MLXXIII. Pictavis in concilio, coram Gerardo, cardinali Ostiensi, apostolicae sedis legato, comparuisset; tanto animorum aestu ipsius causa agitata est, pene vt discerperetur. Sed & non multo post, duobus in conciliis, sub Gregorio VII, annis MLXXVIII. & MLXXVIII. congregatis, fidei formulas, quas postea refutare tentavit, fecte professus est, dolosis interpretationibus internis, pontificis & cardinalium industriam ludens: licet tandem, quamuis non ex animo, errasse se confessus sit. Reuersus in Franciam, claro supercilio dogma impium docere perstitit: sed illud anno sequenti retractare in concilio Burdegalensi coactus, postea quieuisse videtur.

Tot

Tot post condemnationes & recantationes, nemo non miretur Romanorum pontificum, Galliae episcoporum, ac principum, in Berengarium indulgentiam, quos ille toties ludificauit. Nec alia eius rei causa afferri posse videtur, quam quia Berengarius non nisi vno gradu a fide catholica aberrare crederetur, admissa reali, vt aiunt, in Eucharistia Christi praesentia, negata tantummodo transubstantiatione. Id quod patet, tum ex Guimundo, tum ex hoc praesenti eius scripto: quamuis, non sibi omnino constans, verum in sacramento Christi corpus aliquando negare visus sit. Sed tanta Ecclesiae indignum haeresiarcham patientia, hoc tandem euicit, vt ille, eiuratis sincere erroribus, in cellam Turonensem S. Cosmae, Maiori monasterio subiectam, se receperit, vbi factus monachus, vt quibusdam placet, tantam egit poenitentiam, summorum vt viro- rum consequi meritus sit laudes. Sic enim de illo cecinit Hildebertus, Turonensis archiepiscopus:

*Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus, obit.*

*Quem sacrae fidei vestigia summa sequentem,
Fani quinta dies abstulit, ausa nefas.*

Et Baldricus Dolensis antistes:

Vir

*Vir vere sapiens, & sorte beatus ab omni,
 Qui coelos anima, corpore ditat humum.
 Post obitum, viuam secum, secum requiescam,
 Ne fiat melior fors mea, sorte sua.*

Ab his laudibus non recessit Clarius Seno-
 nensis, S. Petri monachus, qui decennio
 post Berengarii obitum, haec de eo scribebat:
*Anno MLXXXIII. Berengarius, Turonensis ma-
 gister, & admirabilis philosophus, amator pau-
 perum, effloruit. Hic composuit orationem illam,
 quae sic incipit: Iuste iudex IESV CHRISTE
 cet. Post haec fidelis & vere catholicus vitam
 finiuit. Sed & Willelmus Malmesburiensis
 lib. 3. de Regibus Angliae scribit, eum mo-
 rientem ipso Epiphaniarum die, gemituque
 producto, recordatum, quot miseros olim,
 primo erroris calore, secta sua infecerit,
 exclamasse: Hodie, in die apparitionis suae, ap-
 parebit mihi Dominus meus IESVS CHRISTVS,
 propter poenitentiam, ut spero, ad gloriam; vel
 propter alios, ut timeo, ad poenam.*



D

PAV.



PAVLVS GALEARDVS
DE ADELMANNO.*

Vt primum Berengariana haeresis vulgari coepit, qua Berengarius, Andegauenfis Archidiaconus, veritatem corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia denegabat, inter alios eius aevi scriptores, qui orientem errorem strenue oppugnarunt, primus praeter ceteris numeratur Adelmannus, ex Scholastico Leodiensi, Brixienfis in Italia Episcopus. Fuerat is pridem Berengarii condiscipulus in Academia Carnotensi, sub Fulberto, eius vr- bis episcopo; quare veteris contubernii memor, hanc ad Berengarium epistolam misit, qua eum disciplinae communis, sub qua educati ambo fuerant, recordatione compellans, ab errore conatus est reuocare.

Claruit porro Adelmannus singulari doctrinae, & eloquentiae laude; eumque *virum in diuinis scripturis studiosum, & eruditum & in saecularibus literis non mediocriter doctum* appellat Trithemius. Praefuit Leodiensibus scholis post *Wathonem*, seu *Wazonem*, vt ipse-
met

* Est praefatio Galeardi, praemissa epistolae Adelmanni in editione Sermonum Gaudentii Patauina, pag. 287, inserta etiam Operibus vett. Brix. Episc. Ex qua suppleuimus, quae post editum Gaudentium addiderat huic praefationi Cl. auctor,

met de se testatur, in Rhythmis Alphabeticis, de viris illustribus sui temporis, illis verbis:

Sub Wathone, subque ipso, cuius sunt haec rhytmica.

Idemque aperte indicare *Scholastici* nomen, Adelmanno inditum, atque epistolae huic praefixum, ostendimus in notis, non prorsus otiose, vt puto, quamuis idem prius obiter monuerint Ioannes Launoius in libro de celebrioribus Scholis, & Mabillonius in *Analectis*.

Quandonam Adelmannica haec epistola conscripta fuerit, hoc loco non alienum erit inquirere. Conscriptam fuisse initio euulgati a Berengario erroris, satis produnt verba illa Adelmanni: *Hacc ante hoc biennium cum audissem: deinde cum eum conscholasticum, collacianum & sanctum fratrem vocet, aperte ostendit, datam fuisse, antequam Berengarius in concilio Romano & Vercellenfi damnaretur, quorum vtrumque celebratum est anno M.L. Trithemius in lib. de Scriptor. Eccl. ait, Adelmannum epistolam hanc misisse ad Berengarium, iam tunc errores de hac re dogmatizare incipientem; & Gulielmus Alanus, Anglus, de Eucharistiae Sacramento lib. I. cap. 21. Istum, inquit, (Berengarium nempe) primus admonuit Adelmannus, Episcopus Brixienfis, doctissima epistola, ad eum de Eucharistia scripta. Itaque huius epistolae epocha petenda nobis est ab initio ortae Berengarianae haeresis,*

quod quidem ex auctore Fragmenti historiae Franciae anno MXXXIII. non improbabili-
ter assignat Pagius. Rursum, cum ante Adel-
manni episcopatum, ab eodem, in partibus
Teutonicis degente, ad Berengarium missam
fuisse constet; conscriptam ante annum
MXXXVIII. affirmare oportet, cum eo
anno iuxta Vghellum consignetur initium
episcopatus Adelmanni. Pagius in Crit. ad
annum, MXXXV. censet, epistolam hanc
eodem, vel alterutro ex duobus sequentibus
annis, datam; mihi vero posterius magis
probatum, conscriptam nempe fuisse anno
MXXXVII. vel fortasse etiam ineunte
MXXXVIII. quo Adelmannus Brixianam
sedem est affecutus, cum initium Berenga-
rianæ hæresis Adelmannicam epistolam in-
tegro biennio præcesserit.

Haec omnia mirum in modum confir-
mari & illustrari possunt, si conferamus
annos, quibus Adelmannus Leodiensium
scholarum praefecturam obtinuit. Eam vi-
detur adeptus post *Walthonem*, seu *Watbonem*,
anno MXXXI. quo nempe anno *Watbo* Leo-
diensis Episcopus renuntiatus est; ut patet
ex Chronico Leodiensi apud Labbeum, Biblio-
thecae nouae MSS. tom. I. pag 337. Huius
chronici laterculum, quo Leodiensium epi-
scoporum series continetur, ut apertior res
fiat, hic subiicimus:

MVIII.

MVIII. *Notkerus episcopus obiit: Baldricus succedit.*

MXVIII. *Obiit Baldricus episcopus: succedit Walbodo.*

MXXI. *Obiit Walbodo episcopus: succedit Durandus.*

MXXV. *Durandus episcopus obiit: Reginardus succedit.*

MXXXVII. *Obiit Reginardus episcopus: succedit Hitbardus.*

MXXXI. *Obiit Hitbardus: succedit Watbo.*

MXXXVIII. *Watbo episcopus obiit: succedit Deoduinus.*

Watbo porro iste, seu *Waltho*, Adelmani praecessor, Leodiensium scholarum magisterio decoratus est a *Notkero* illo, qui primus in laterculo apparet; vt ex testimonio Anselmi, Canonici Leodiensis, in lib. de episcopis Leodiensibus c. 84. statuit Mabillonius, tom. I. Analect. pag. 424. Itaque, cum *Watbo* fuerit Leodiensis Scholasticus ante annum M VIII. quo *Notkerus* episcopus obiit, satis probabile est, eundem id munus exercuisse, vsque ad annum MXXXI. quo Leodiensem cathedram est assecutus; ac proinde, his positis, facile colligas, Adelmanum Leodiensium scholarum praefecturam gessisse ab anno MXXXI post *Wathonem*, vsque ad initium sui episcopatus, scilicet vsque ad annum MXXXVIII. quo temporis interuallo, cum nempe scholis Leodiensibus

praecesset, epistolam ad Berengarium ab Adelmanno fuisse conscriptam, etiam *Scholastici* nomen, huic epistolae praefixum, insinuare videtur. Certe eam, cum adhuc Leodii ageret, ad Berengarium missam, illud Adelmanni dictum aperte indicat, quo se, eam scribens, inter Teutonicas aures peregrinari affirmat. *Vt non solum Latinas, verum etiam Teutonicas aures, repleuerint inter quas diu peregrinor.* Quare ante annum MXXXVIII vel eodem ipso anno datam oportet. Ideoque corrigendus Casimirus Oudinus, qui huius epistolae epocham semel atque iterum anno ML. consignat, (Tom. 2. de script. Eccl. col. 625. 628.) quo tempore Adelmannus, Brixianam cathedram assecutus, non amplius Leodiensibus scholis praecerat, ac proinde scholastici nomen usurpare non poterat, multo minus Leodii degere, aut inter Teutonicas aures peregrinum se aut hospitem affirmare.

Lectu digna haec epistola, si alia vlla umquam, eamque disertam valde vocat Baronius; eruditam vero Bellarminus, & Miraeus. Rescripsisse Berengarium fastuoso stilo, testis est Sigebertus cap. 154. de scriptor. Eccles. quam quidem Berengarii responsionem intercidisse putauit Mabillonius tom. 4. Annal. Benedict. pag. 515. Verum eius fragmenta, satis ampla, vulgata sunt ab Edmundo Martene & Vrsino Durand tom. 4. Thes.

Theſ. noui Anecd. pag. 109. ſub hoc titulo: *Idem Beringerius in purgatoria epiſtola contra Admannum.* Nihil in hac Berengarii reſponſione ſolidum, diſtinctum, aut explicatum; ſed inania omnia, interturbata, obſcura: eamdem fere crambem recoxit, quam poſtea, aduerſus Humbertum Burgundum ab eo vulgatam, refutauit Lanfrancus: maledictis aduerſus Paſchaſium, Lanfrancum, & Admannum (quem ironice etiam *Aulum Mannum* vocat) vbique ſcatet; ita vt ſi epiſtolae Admannicae comparetur, quae doctrinam vbique, eloquentiam, Chriſtianumque candorem, & modeſtiam prae ſe fert, non valde ſibi oppoſitae ſententiae ſectatores de huiusmodi patrono plaudere poſſint. Scripſit autem Admannus, praeter epiſtolam ad Berengarium, aliam eiufdem argumenti ad Paulinum, ſeu Paulum, Mettenſem Primiſerium, monens eum, vt Berengarium, communem amicum, ab errore reuocaret; quae quidem epiſtola aut interiit, aut nondum prodiit; itemque epiſtolarum ad diuerſos librum vnum, teſte Trithemio, Simlero & Poſſeuino. Epiſtolae iſtae vel adhuc in tenebris iacent, vel prorfus interciderunt. Fuit quoque Admannus, vt ait Trithemius, *carmine excellens, & proſa*; eundemque poetam vocat, fortaſſe propter *Alphabeticos Rhythmos de viris illuſtribus ſui temporis* ab ipſo conſcriptos;

scriptos; quos vt epistolae huic Adelman-
nicae subderem, auctor mihi fuit praecclaris-
simus, & doctissimus Abbas, Benedictus
Bacchinius, qui me Patauii commorantem,
dum editionem Adelmannicam hanc pararem,
nullo non officiorum genere profecutus est.

De anno obitus Adelmanni triplex in-
uenitur sententia. Prima est, quam profert
Octavius Rubeus in Vita SS. Faustini & Io-
uitae pag. 50. Adelmannum nempe obiisse
anno MXXXVI, lapide, vel fuste in ca-
pite ictum, in quodam conflictu Brixiae ini-
to aduersus Berengarianos; quapropter ei-
dem, tamquam fidei defensori, martyrii pal-
mam deferre videtur. At narratio ista Rubei
nulla probabilitatis specie nititur. Nam quo
pacto Adelmannus Brixiae occubisse potuit
anno MXXXVI, si necdum episcopatum
assecutus, adhuc Leodiensium scholarum
magisterio fungebatur; eodemque anno
MXXXVI. Oldericus, Adelmanni in episco-
patu Brixiano praecessor, Papiensi Synodo,
apud Vghellum, * interfuisse dicitur? Deinde,
quomodo ab Adelmanno aduersus Berenga-
rianos eo anno pugnari poterat, si vixdum
Berengarii haeresis tunc temporis vulgari
coepta fuerat, nec, nisi post hunc annum,
vt supra ostendimus, Adelmannica haec epi-
stola aduersus Berengarium conscripta? Ita-
que

* Tomo III. Ital. Sacr. col. 539. Edit. Ven.

que, reiecta straminea Rubei narratione, quae aliunde etiam nescio quid fabulosum subolet, duas alias sententias discutiamus. Quarum prior ex Brixianis tabulis, vt tradit Vghellus, Adelmanni mortem assignat anno MLVII; altera vero, ex Actis Nicolai II. Papae, quae MSS. idem Vghellus apud se extare affirmat, Adelmannum adhuc inter viuos egisse prodit anno MLXI. atque ab eodem Nicolao II. mandatum accepisse, arcendi a diuinis diaconos sacerdotesque concubinaros. * Fuit in hac posteriore sententia Vghellus ipse; ac profecto, si Actorum MSS. auctoritas, quibus Vghellus nititur, in dubium reuocari nequeat, emendandus erit ex iis Flavius Blondus Foroliuensis, qui Dec. 2. lib. 3. de legatione Mediolanensi a Petro Damiani, aduersus simoniacos, & concubinaros sacerdotes, iussu Nicolai II. suscepta anno MLVIII. sermonem habens, inter huiusmodi notae homines Brixianum episcopum recenset; omnino enim hanc culpam ab Adelmanno, sanctioris vitae praefule, amoliri par est, cui potius ab ipso Pontifice, cleri in viam reuocandi & honestis moribus instituenti, prouincia tradita fuerit. Sane Blondum Foroliuensem indiligentem fuisse scriptorem, constat inter eruditos; non val-

D 5

de

* Nos ipsius Vghelli verba infra inferemus testimoniis Galeardi.

de morosum in iis discutiendis, quae in commentarios referret, nec quam vera potius, sed quam multa scriberet, curam habuisse. At vero, si priorem sententiam tueamur, Actorumque MSS. fidem (quae Vghellum edere oportuisset) non omnino tutam, firmamque esse iudicemus; nihil prorsus de Petri Damiani legatione, aut Blondi Foroliuensis narratione, ad Adelmannum nostrum pertinebit, sed vtraque referenda erit ad episcopatum Odalrici, qui proximus Adelmanno successit, qui que Giberti Antipapae, atque Henrici Imperatoris partibus fauit; propterea a Gregorio VII. anathemate percussus. Rem acu tetigi in notis ad Vghellum tom. 4. Edit. Ven. col. 540. Sed cum vtraque sententia id habeat incommodi, vt nec Brixianae vllae tabulae existant, (quamuis eas laudet Vghellus) quibus emortualis Adelmani annus certo statui possit, nec Acta illa MSS. quae dubitationem omnem dirimerent, ab Vghello edita fuerint; vltius difficultatem hanc explorare non licet.

Vt integram Adelmannicam hanc epistolam darem, quae magna sui parte intercidit, nullum non lapidem moui. Nam primum, me rogante, per eruditissimos, eisdemque humanissimos viros, Franciscum Blanchinum, & Carolum Maiellum, Bibliothecae Vaticanae Praefectum, quorum vterque

que SS. D. N. Clementis Papae XI. est ab honore sacri cubiculi, Romanis perlustratis bibliothecis, nusquam inuenta est. Adii deinde per literas Cl. Virum, conterraneum meum, Virginium Valsechium, ab eoque enixe petii, vt, si quid posset, Florentinos forulos diligenter excuteret; isque perhumaniter respondit, Laurentianis, S. Marci, ac Strozianis Codicibus peruolutis, nihil se omnino offendisse, quod Adelmanni nostri nomen praeferret. Legeram dudum in Diario Italico Montfauconii catalogum bibliothecae Pomposianae, a quodam Henrico Clerico ad Stephanum conscriptum, anno ab Incarnatione MLXXXIII. in eo pag. 85. hic titulus occurrit: *De corpore & sanguine Domini. Lanfranci contra Beuengarium. Ibidem de corpore & sanguine Domini, cuiusdam sapientis.* Quare sub hoc sapientis nomine, qui anonymo isti tribuitur, Adelmannum fortasse nostrum delitescere suspicatus, de Pomposianis codicibus sollicitus esse coepi. Sed frustra hic quoque noster fuit labor. Nam compellatus a me Cl. Abbas Benedictus Bacchinius (a quo catalogi illius exemplar per manus amicorum ad Montfauconium peruenisse acceperam, Bacchinius vero descripserat a MS. codice bibliothecae Estensis) compellatus a me, inquam, benigne reposuit: in Estensi bibliotheca Pomposianos codices

dices haberi nullos; nec a se vsquam inueniri potuisse, Pomposiano coenobio euerſo, in quas terrarum plagas delati fuerint. Cum igitur nihil proficerem, ad tranſalpinas bibliothecas animum aduerti, impetratiſque ſummorum virorum ſuffragiis, quorum auctoritatem, atque officia nobis conciliauerat, eximia, qua pollet, de literis, ac de bonis omnibus bene merendi voluntate, Illuſtriſſimus, idemque Praeclariffimus IOANNES FRANCISCVS BARBADICVS, Brixiae Epifcopus, Pariſienſes bibliothecas ſubmiſſis epiſtolis pulſare coepi, Montſauconio ipſo non ſemel interpellato, atque in ſubſidium adhibito; verum non melius illic res ceſſit noſtra, quam alibi: eundemque pariter exitum ſortita eſt Adelmannicae huius epiſtolae petitio, apud Caefaream Vindobonenſem bibliothecam, fruſtra mihi fauente doctiſſimo aequae ac humaniſſimo Ioanne Benedicto Gentilotto, eiufdem bibliothecae Cuſtode, ad cuius amicitiam aditum mihi patefecerat magnum Italicarum literarum praefidium atque ornamentum Apoſtolus Zenus, Caefaris Hiſtoriographus ac Poeta.

Itaque ſpe fruſtratus omni, inueniendi vllius MS codicis, in quo Adelmannica haec epiſtola deſcripta eſſet, ad eam quoquo modo recognoſcendam, & emendandam, editis vſus ſum. Prodiit autem primum
haec


haec epistola inter alios eiusdem argumenti scriptores, cura ac studio Ioannis Vlimmerii, Louanii 1551; atque iterum 1561. Cuius posterioris editionis (cum rarior vtraque occurrat) variantes lectiones accepi a Cl. viro Iosepho Antonio Saxio, bibliothecae Ambrosianae Praefecto. Harum ope aliquot in locis emendatior nonnihil facta est. Tres deinde editiones contuli Bibliothecae Patrum, in quibus exstat, quaeque variis annis, ac locis cufae sunt; nempe Parisiensem anni 1589, Coloniensem 1618 & Lugdunensem 1677. Sed parum profeci.

* Nuper edita est Lipsiae, anno 1710, ab Urbano Gothifredo Sibero, in libro *De illustribus*

* Adiunximus infra reliquis virorum doctorum de Adelmanno testimoniis, breuem ipsius Siberi super ea causa commentationem. Hoc loco non alienum fortasse fuerit inseruisse, quae in Actis Eruditorum Lipsiensibus Mensis Octobris 1722.) opposita sunt Cl. Galeardo, Adelmannum nostrum hominibus Italis vindicanti: *Id ipsum, quod ad auferendum Germanis Adelmannum Cl. Galeardus protulit, tanto fortius eundem Germanis vindicat. Hoc ipsum enim Adelmani nomen plane Germanicum est, originesque Brixienfis Praesulis satis demonstrat: nec peregrinatio inter Teutonicas aures, hanc assertionem destruit, cum peregrinandi vox meram viuendi significationem apud Adelmannum habeat, quod ex eiusdem epistola constat; unde certum est, non alia ratione se peregrinantem dixisse, atque*
Dauides

*s*tribus Alemannis; sed nihilo auctior aut melior, ceteris vulgatis editionibus. Contendit auctor huius operis, (quod obiter dictum velim) Adelmannum nostrum esse natione aut origine Germanum, seu *Almannum*; hoc vel maxime argumento fretus, quod eum Sigebertus *Almannum* vocauerit. Quam probabiliter faciat, alii viderint: ego profecto non facile assentiri queo, cum Adelmannus ipse inter Teutonicas gentes *hospitem* se, ac *peregrinum* esse dixerit, vt in notis obseruauimus; nec ratio vlla sit, cur eum a gentis nomine, vt vult Siberus, *Almannum*, seu *Alemannum* vocemus, cum ipsemet in Rhythmis Alphabeticis diferte se *Adelmannum* appellet.

*D*auides se peregrinum cum Patribus dixerat, qui tamen constanter in Palaestina resederant. Praeterea, quum Berengarium Francum fuisse constet, cuius se Collectaneum (lege Collactaneum) Adelmannus vocat, cum quo adolescentulo, ipse maiusculus, in Academia Carnotensi fuerit educatus, ad quem cum literas mittere vellet, hominem linguae Francicae non ignarum quaerebat; certe non amplius dubitandum erit, Adelmannum Germanis, ad quos Franci pertinebant, accensendum esse.



VARIO-



VARIORVM TESTIMONIA
DE
ADELMANNO

A GALEARDO COLLECTA:

*Sigebertus de Scriptoribus Eccles.
cap. 153.*

ADELMANNVS Grammaticus, ex Clerico Leodiensi Episcopus Brixienfis, scripsit ad Berengarium, Turonensem Clericum, epistolam, arguens eum, quod se diuulserit ab vnitate catholicae Ecclesiae, dogmatizando & verbis & scriptis, quod corpus & sanguis Christi, quod quotidie in vniuersa terra in altari immolatur, non sit verum corpus Christi, nec verus sanguis Christi, sed figura & similitudo corporis & sanguinis Christi. Scripsit super eadem re epistolam ad Paulum, Mettensem Primitium, monens eum, vti & ipse Berengarium, communem amicum suum, reuocaret ab hac praua intentione.

*Nota Auberti Miraei in Biblioth. Eccles.
Edita Hamburgi 1718. * pag. III.*

ADELMANNVS, Sigeberto ALMANNVS,
ex Scholastico Leodiensi Episcopus Brixienfis
in

* a Io. Alb. Fabricio, cuius nomen hic silentio
legendum non erat.

in Italia, quondam Fulberti, Carnotensis episcopi, vna cum Berengario, Andegauenfi Archidiacono, discipulus. Scripsit aduersus eundem Berengarium, de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia epistolam valde eruditam, a Ioanne Vlimmerio editam.

Ioannes Trithemius de Scriptoribus Eccles.

ADELMANNVS Grammaticus, ex Clerico Leodicensis Ecclesiae, Brixienfis Episcopus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in saecularibus literis non mediocriter doctus, philosophus, poeta, dialecticus suo tempore famosus, carmine excellens & prosa. Scripsit gemino stilo quaedam non spernenda opuscula, quibus memoriam suam posteris commendauit. E quibus existat libellus non iniucundus, de corpore & sanguine Domini, ad Berengarium Turonensem, quondam apud Fulbertum Carnotensem condiscipulum suum, iam tunc errores de hac re dogmatizare incipientem, in quo multis literarum testimoniis contra eum nititur. De eadem re ad Paulinum, Primicerium Mettensem, epistolam dedit. Ad diuersos epistolas multas scripsit & quaedam alia. Claruit sub Henrico III. anno Domini MXXX. *

* Haec Trithemii forte ex alia editione hausit Galeardus. Fabricii editio ab hisce verbis passim discrepat. Vid. Bibl. Eccles. pag. 82.

Josias

*Jofias Simlerus in Epitome Bibliothecae
Conradi Gesneri, edita Tiguri 1555.*

ADELMANNVS, Grammaticus, Episcopus Brixienfis, scripsit ad Berengarium Turonsem de corpore & sanguine Domini librum vnum, (*id est, epistolam vnā*) & epistolarum ad diuersos, librum vnum. Claruit anno Christi MXXX. Eius liber de sacramento corporis & sanguinis Christi, excusus est Louanii, cum aliis eiusdem argumenti libellis, anno Domini 1551. apud Petrum Phalesium,

*Gulielmus Alanus, Anglus, de Eucharistiae
Sacramento, libro primo, cap. 21.*

Istum (*scilicet Berengarium*) primus admonuit ADELMANNVS, Episcopus Brixienfis, doctissima epistola, ad eum de Eucharistia scripta, rogans per Christum & veterem familiaritatem, communisque praecceptoris suauissimam memoriam, ne rebus nouis tantopere studeat, vtque desistat, sibi ipsi & Ecclesiae matri perniciem parare; obtestaturque, vt de Arii, Manichaei & similibus pestium horribili exitu & execrabili memoria pertimescat.

Posseuinus in Appar. sacr.

ADELMANNVS, siue ADELMANNVS,
Grammaticus (qui Sigeberto est ALMAN-
E NVS)

NVS) Leodiensis, Episcopus Brixinensis, (*legendum Brixienfis* *) Fulberti, Carnotensis antistitis, quondam auditor. Scripsit ad Berengarium, olim apud Fulbertum condiscipulum suum, tunc errare & praue sentire in-

* Ob illud, quod ab vnus literulae discrepantia pendet, erroris periculum, detur mihi, quamquam alias notum satis est, vel tribus verbis monuisse, Urbem Brixinam & Episcopatum Brixinensem (*Brixen*) caute diligenterque distingui debere a Brixia, in Venetorum vicinia sita. (*Brescia*) Porro annales Brixienfes cum Brixinensibus annalibus, aut Canonicos Brixienfes cum Brixinensibus (id quod cum Posseuino & aliis eruditis contigisse passim obseruaui) haut esse permiscendos. Sic, quem vocat Ottomarus Luscinius, in dedicatoria epistola, praemissa senariis Stobaei, edit. Arg. 1521 Custodem & Canonicum Brixinensem & τὸν νεάρχον Φιλανθρωπόστατον Brixinensem, Ambrosius Ypphoferus de Vpphoferstal, non erat quaerendus in Venetorum ditionibus, sed in Tirolia, i. e. in vrbe Brixina. Itaque, cum hoc vrbis nomen iam aliquot abhinc seculis vsu inualuerit, non bene recentiores aliqui historiarum conditores & Geographi, urbem Brixinam, nomine Brixiae vbique insigniunt. (Vid. splendidiorum Geographiae Phil. Cluuerii editionem Amstelaedamensem 1729) Nam hoc nominis discrimine sublato, haesitabis, quotiescunque vrbis vtriusque, aut fastorum Brixienfium in libris facta fuerit mentio, nisi forte expectes, vt, quod raro in scriptis vetustioribus factum est, regionis nomen vrbi perpetuo adhaereat.

incipientem, valde prolixè & amice eum corripuens, de corpore & sanguine Domini, librum vnum. Epistolarum ad diuersos librum vnum. Alia insuper, tam metro, quam soluta oratione.

Bellarminus de Scriptor. Eccles.

ADELMANNVS, Episcopus Brixienfis, qui aliquando Berengario, Diacono Andegauenfi, comes fuerat & condiscipulus, sub disciplina sancti Fulberti, Carnotensis episcopi, scripsit epistolam valde eruditam ad Berengarium, de veritate corporis Domini in sacrosancta Eucharistia, quae exstat.

Labbeus de Script. tom. I. pag. 7.

ADELMANNVS, ex Leodiensi Scholastico, Brixienfis in Italia Episcopus, floruit labente saeculo vndecimo, circa annum 1050. Epistola de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, ad Berengarium Turonensem, Archidiaconum Andegauensem, quem vocat dilectum, & conscholasticum suum (vterque enim fuerat Fulberti, sanctissimi Carnotensium episcopi, discipulus) exstat, tum seorsim edita Louanii 1551, & 1561, atque alibi, tum in Bibliothecis Patrum Parisiensibus & Coloniensi. Sigebertus cap. 153. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis Almannum Grammaticum appellat, do-

E 2

cetque,

cetque, eum scripsisse super eadem re alteram quoque epistolam, ad Paulum, Mettensem Primicerium, qua moneret, vti & ipse Berengarium, communem amicum suum, ab hac praua intentione reuocaret. Prodiisse illam nondum comperi.

Baronius ad A. C. 1004. n. 6.

Reuocauit in memoriam Berengario sub Fulberto tirocinium suum, eiusdem sub eodem doctore condiscipulus ADELMANNVS, Episcopus Brixienfis, cum postea aduersus eum disertam valde scripsit epistolam.

Pagius in Crit. Bar. ad A. C. 1045. n. 4.

ADELMANNVS, Scholasticus Ecclesiae Leodiensis, cum accepisset, Berengarium, Andegauenfem Archidiaconum, doctrinam de corpore & sanguine Domini in Eucharistia, orthodoxae contrariam, spargere, scripsit ad eum epistolam, quae tomo 18. Bibl. PP. Edit. Lugdunensis, legitur & cuius mentionem facit Baronius anno MXXXV. n. 7 quia eo anno concilium Parisiense aduersus Berengarium indictum putabat; quod tamen anno ML. habitum fuisse, eo anno videbitur.*

Episto-

* Verba sunt Ant. Pagi tomo III. pag. 185. ad annum Christi ML. n. 15. „ Post Vercellense Concilium, Parisiense habitum, in quo coram Henrico I. Francorum Rege, XVII. Kal. Nouembris, damnatus est Berengarius. Huius Concilii vnus meminit Durandus, Troarnensis abbas. ”

Epistolae inscriptio est: *Dilecto in Christo Fratri, Conscholastico Berengario, Adelmannus salutem in Domino.* Quare cum, iuxta Vghellum tom. 4. Italiae Sacrae, Adelmannus ab anno MXXXVIII ad annum circiter MLXI. Brixiensis in Italia episcopus fuerit, ea ad Berengarium, qui, sicut & ipsemet, Fulberti Carnotensis Episcopi, vitae sanctitate & doctrina illustris, discipulus fuerat, hoc, vel alterurto ex duobus sequentibus annis, data.*

Fer-

* Iuuat his addere & quae sequuntur verba, ad Adelmannum pertinentia. „ Eum (Berengarium) pluribus hortatur Adelmannus, vt „ famam suam tam foeda labe non maculet, „ *Obsecrans*, inquit, *per misericordiam Dei*, de „ *ordine recte viuendi eis in aliquo refragari.* „ Postea docte ostendit, Eucharistiam esse vere „ substantialiterque corpus & sanguinem „ Domini, solis Christi verbis innixus, ductoque ab omnipotentia diuina sacramento. „ Ecclesiam Metensem administrabat hoc „ tempore Theodoricus, huius nominis II. „ In eius ecclesia Cathedrali Primicerius erat „ vir magnae eruditionis, *Paulinus* nomine, „ quo Adelmannus vsus est, vt Berengarium, „ Paulini amicum, in viam reduceret. Ait „ enim Adelmannus in laudata epistola: *Haec „ ante biennium cum audissem — obtulit melius, „ quam optabam.* Quibus ex verbis liquet: „ Primum, Berengarium aliquot ante annos, „ quam haeresis eius in Concilio Romano „ damnaretur, a pluribus habitum fuisse haereticum

*Ferdinandus Vghellus Ital. Sac. tom. 4.
Edit. Ven. Col. 540.*

ADELMANNVS, five ALEMANNVS, Grammaticus Leodiensis, sui saeculi philosophia celebris, ad huius Ecclesiae (scilicet Brixianae) Cathedram ascendit, anno MXXXVIII. Inter multa opera quae posteritati reliquit, illud enituit, de corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, inscriptum ad Berengarium Turonensem, suum olim condiscipulum, cuius neruosis rationibus non solum sui temporis haeresim affixit, ac iugulauit, sed in posterum etiam sectariorum nostri temporis technis praeclusit iter, ne secutores turpissime fallerent.*

Mabil-

„reticum, & auctorem fragmenti historiae Francicae, a Roberto ad Philippum Regem perductae, haereseos Berengarianae exordium, a superiori Christi anno, apposite repetere. Secundo, non defuisse in Gallia, qui omnem operam posuerint, vt eum a praua mente reuocarent. Tertio, non videri, Paulinum Primicerium, muneri sibi iuncto fatifecisse.”

* Partem tantum verborum Vghelli excerpfit Galeardus. Quae sequuntur haec sunt:
„Quam ob rem haeresiarcha Calvinus, cum illius argumentorum nexibus se mordicus teneri sensisset, honestioremque exitum desperaret, conuersus ad iniurias, Adelmannum imperitum, barbarum sophistamque appellat.”

appellat." Hoc Adelmanno, fane immerenti, factum a Caluino conuicium, nec absque bile e scriptis eius ab Vghello repetitum, vellem in quo operum Caluini volumine lateret, vel verbo significatum esset, vt iudicio lectoris pateret vtriusque causa, plenius ipsi exposita. Equidem voluendis tot chartis fatigatus, eruere ista, cum temporis mei subseciui iactura, tandem desii. Pergit Vghellus:

„ Decessit hic doctissimus Praesul, vt tabulae
 „ scribunt, anno 1057, sepultusque est in
 „ basilica sanctorum Faustini & Iouitae. Nar-
 „ rat Rubeus in eorundem sanctorum historia,
 „ Adelmannum obiisse anno 1046, lapide in
 „ capite ictum, in quodam Brixiae conflictu
 „ contra Berengaristas, ideoque, tanquam fidei
 „ defensorem, tulisse palmam martyrum.
 „ Verum, in gestis Nicolai II. Papae, clare
 „ habetur, Adelmannum in viuis fuisse an-
 „ no 1061, & ab eodem Pontifice prae-
 „ ceptum habuisse, expellendi a rebus diui-
 „ nis diaconos sacerdotesque concubenarios.
 „ Hinc opus est asserere, non anno 1057,
 „ vel 1046, vt aiunt, illum obiisse. Me-
 „ minit illius Trithemius, in libro de scri-
 „ ptoribus Ecclesiasticis; Burdegalensis, in
 „ Chronologia & alii. Illius corpus in de-
 „ centiorem locum postea transtulerunt, cum
 „ aliis sanctis Episcopis, monachi Casinenses,
 „ vt videre est in hac adiecta inscriptione:
 „ DONEC. IMMORTALITATEM. INDV-
 „ ANT. APHRIDII. PET. RAMPERTI. ET
 „ ADELMANNI. BRIXIAE. EPISCOPO-
 „ RVM. RELIQVVM. HIC. GRATA. CA-
 „ SINENSIS. CONGREGATIO. REPOSVIT
 „ CIOIOXII."

E 4

Mabil-

Mabillonius Annal. Bened. tom. 4.

pag. 514.

Eodem tempore ADELMANNVS, Scholasticus Leodicensis, tunc in Teutonicis partibus degens, postmodum Brixienſis Episcopus, Berengario scripsit, quem *dilectum in Christo fratrem, conscholasticum & collectaneum* vocat, ob commune cum eo contubernium in Academia Carnotensi, sub Fulberto episcopo. In hac porro epistola se ante biennium rumore vulgato accepisse dicit, Berengarium ab Ecclesiae communione recessisse, & de corpore & sanguine Domini, aliter, quam fides Catholica tenet, sentire, eumque ad resipiscentiam hortatur. Lectu digna haec epistola. *Deinde pluribus ex eadem exscriptis, subdit:* Hanc epistolam scripsit Adelmanus nondum episcopus, ante Berengarii damnationem, quem alias *sanctum fratrem* vocaturus haut fuisset. Scripsit & aliam eiusdem argumenti epistolam, ad Paulinum, Mettensem Primicerium, quem vulgatus Sigebertus Paulum vocat, monens eum, uti Berengarium, communem amicum suum, reuocaret ab hac praua intentione. Adelmano rescripsit Berengarius, Sigeberto referente, fastuoso stilo, non agnoscens amici corrigentis beneuolentiam, sed defendens suam de mysteriis Christi sententiam; quae epistola ad nos non peruenit.

Mabil-

*Mabillonius in Act. SS. Benedicti. ord.
saec. 6. Part. 2. in Praefat.*

De ADELMANNO intelligenda videtur Fulberti epistola 56. ad R. id est Reginardum, Leodicensium episcopum, scripta, in qua eum securum esse iubet *de illa oue, quae in nostris, inquit, pascuis obuersatur. Fratrem A. subdiaconum loquor, quia, Dei gratia, bene ruminat, & luporum insidias sagaciter cauet.*

*Gulielmus Caueus Histor. Liter. Eccl.
Script. Saec. XI.*

ADELMANNVS, Fulberti Carnotensis discipulus, Berengarii condiscipulus, ex Scholastico Leodicensi Brixienfis, ab anno MXXXVIII. Episcopus. Obiit circa annum MXI. Scripsit epistolam ad Berengarium, de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, quae typis excusa prodiit, vna cum aliis eiusdem argumenti opusculis, cura Ioannis Vlimmerii, Louanii 1551, 1561 & in Bibliotheca Patrum, tomo XVIII. pag. 438. Scripsit etiam, teste Sigeberto, eiusdem argumenti epistolam ad Paulum, Mettensem Primicerium, qua ipsum pariter ac Berengarium, communem amicum, a sententia sua de Eucharistia reuocare conatus est. Epistola ista interiisse videtur.

E s

Olearius

Olearius Biblioth. Script. Eccles.

ADELMANNVS floruit, iuxta Labbeum, tomo I. pag. 7, saeculo XI. ex Leodiensi Scholastico, Brixienfis in Italia factus Episcopus, anno MXXXVIII. Eius scripta recensent, Bellarminus, Caueus, Labbeus. Ex istis edita seorsim Louanii 1551, 1561 epistola, de veritate corporis & sanguinis Christi, quam vide quoque in Bibliotheca Patrum. Epistola vero, teste Sigeberto de Script. Eccles. cap. 153, ad Paulum Mettensem scripta, aut interiit, aut nondum prodit.

Casimirus Oudinus in commentario de scriptoribus Ecclesiae.

Tom. 2. col. 625.

ADELMANNVS fuit Fulberti Carnotensis discipulus, qui postmodum ex Scholastico Leodicensi, Brixienfis ab anno MXXXVIII. Episcopus, anno ML. epistolam scripsit ad Berengarium, de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistica, que typis excusa, vna cum aliis eiusdem argumenti opusculis, Louanii prodit, cura Ioannis Vlimmerii 1551, 1561 & in omnibus editionibus Bibliothecae Patrum.

Idem col. 628. 629.

Scripsit hoc eodem tempore ADELMANNVS, olim Fulberti Carnotensis discipulus,

pulus, & Berengarii condiscipulus, ex Scholastico Leodiensi, Brixienfis anno MXXXVIII. Episcopus, epistolam ad Berengarium, de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. Quae typis excusa, vna cum aliis eiusdem argumenti opusculis, Louanii, cura Ioannis Vlimmerii prodiit 1551, 1561 & in omnibus Bibliothecae Patrum editionibus. Item, teste Sigeberto, de scriptoribus Eccl. cap. 153, alteram eiusdem argumenti epistolam, ad Paulum, Mettensem Primicerium, qua ipsum pariter ac Berengarium, communem amicum, a sententia sua de Eucharistia reuocare conabatur. Quae vltima epistola interiisse videtur.



Hisce testimoniis, a Galeardo congestis, nos adiungimus quae sequuntur.

*Io. Launoius de scholis celebribus.
Cap. 25. de schola Leodiensi.*

Cum alii Praecellentes Viri, tum septem potissimum, Leodiensem scholam ab obliuionis situ vindicant, eamque praeterea in illustri loco constituunt. Primus est Franco, Leodiensis Episcopus, qui circa annum DCCCLXVIII. claruit. Alter est Stephanus ille, qui ad annum DCCCIII. Franconi successit. Tertius Franco, Leodiensis scholasticus.

sticus. Quartus ADELMANNVS, qui ex scholastico Leodiensi, Brixienfis factus est Episcopus. Hic in Bibliotheca sanctorum Patrum cum Leodiensis scholasticus vocetur, in epistola, quam ad Berengarium scripsit; Leodiensem aliquando scholam rexisse, certissimum est. Id enim tunc temporis prae se tulit *Scholastici* nomen, quo vel Clericus in Ecclesia, vel Monachus in coenobio donatur. Quis autem fuerit Adelmannus, ex aliis quidem, sed maxime ex Trithemio discimus, in libro de scriptoribus Ecclesiasticis: „Adelmannus, Fulberti, Carnotensis Antistitis, quondam auditor. Vir in diuinis scripturis studiosus, & eruditus Philosophus & Dialecticus suo tempore famosus.”

Idem cap. 40. de schola Carnotensi.

Scholis illustrioribus adnumeranda est Carnotensis. Idque, cum ex aliis, tum ex hoc quoque, quod olim Academia dici meruit. De Carnotensi quidem schola plura non occurrunt testimonia, sed quae daturi sumus, grauitate sua paucitatem compensabunt. ADELMANNVS, qui ex Leodiensi scholastico, Brixienfis factus est Episcopus, in epistola ad Berengarium, Carnotensem scholam celebri Academiae nomine insigniuit. Qui Carnotensis Ecclesiae scholam vocat Academiam, testis omni exceptione maior est.

Io.

Io. Mabillonius annot. ad Rhythm.

Alph. Adelmanni.

Quis fuerit ADELMANNVS, horum versuum auctor, nemo eruditus ignorat. Nempe ille ipse est Berengarii condiscipulus, sub Fulberto, Carnotensi Episcopo, Grammaticus, & ex Clerico Leodiensi, Brixienfis Episcopus, teste Sigeberto, in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 153. vbi vocatur ALMANNVS, qui duas epistolas, de veritate corporis & sanguinis Christi Domini in Eucharistia, vnam ad Berengarium, alteram ad Paulum, Primicerium Mettensem, scripsit. In exemplari Gemblacensi illis Rhythmis praemittuntur haec verba: *Mitto etiam tibi rhythmicos versiculos, iuxta ordinem Alphabeti digestos, quos ante annos aliquot, cum adhuc Leodii essem, me, amicos quosdam meos, quorum plures ipse noueras, lamentabiliter recensente, compositos, reperi nuper & edidi.* Quae verba sunt Adelmanni, hos versus mittentis ad Berengarium, * de quo in fine Rhythmorum haec leguntur: *REPONDIT BERINGERIVS: Nascitur ridiculus mus!* Qui Berengarius ADELMANNVM ironice AVLVM MANNVM vocare solitus erat, vt ibidem subditur.

* Vide Galeardum in Rhythmos Adelmanni, in fine huius editionis.

Emin.

*Aug. Mariae Quirini, Card. ad Pont.
Max. Clementem XII. Epist. dedic.
Operum vett. Brix. Episc.*

ADELMANNVM insignem reddit Catho-
licae fidei zelus, quo aduersus Berengarium
Turonensem, pro corpore & sanguine Do-
mini nostri Iesu Christi pugnavit, eumque
propterea nostri etiam temporis novatores
insectantur.

*Paulus Galeardus de collectione vett. PP.
Eccles. Brix. Ad Aug. Mariam
Quirinum epistola.*

Gaudentium, qui proximus Philastrio sub-
ditur, post Patauinam editionem anni 1720,
de integro demum recensui, atque cum
optimae notae MS. codice, qui mihi forte
fortuna oblatus fuerat, diligenter contuli;
annotationibus prioris editionis pluribus in
locis castigatis & auctis. Demum Rampertum
& ADELMANNVM, qui praeclarum hunc
Brixianorum Antistitum quaternionem con-
ficiunt, quique, vna cum Gaudentio, Patau-
inis typis prodierant eodem anno, nonnihil
retractatos, eidem Gaudentio adieci, vt si-
mul egregia haec Ecclesiae Brixianae lumi-
na, vno volumine comprehensa, in manus
hominum venirent,

Idem

Idem in praefat. edit. Patauinae Gaudentii.

Vifum est, Rampertum atque ADELMANNVM Gaudentio adiungere, eiusdem Brixianae Ecclesiae Episcopos, doctrina non minus quam pietate conspicuos. Atque Adelmanni profecto integram Epistolam dandi non modica me incendebat cupido, ne dicam spes; quam tamen omnino frustra animo conceptam, vix demum aegre fensi, cum omnes conatus meos cedere in cassum vidi.



VRBA.



VRBANVS GOTTOFREDVS
SIBERVS

DE ADELMANNO.*

Ad Alemannos, commune gentis nomen seruantes, refero ALEMANNVM, Scholafticum, Brixienfium Praefulem; quem non diffiteor a quibusdam, Trithemium forte fecutis, ADELMANNVM, fed perperam, dici. Quippe quem Sigebertus Gemblacenfis, vir certae auctoritatis, aetateque propemodum aequalis, aut parum certe remotus, ALEMANNVM appellauit. Cum quo prope conuenit Berengarius, de quo vetuftus codex, Mabillonio vifus, teftatur, Alemannum ab eo AVLVM MANNVM, labris pene in ruficitatem detortis, fuiffe vocatum. Id quod e recentioribus poetis, Christophoro Aulaeo contigiffe puto, qui Henningum Alemannum, in epitaphio, non admodum ingeniofa vena conſcripto, *Olemannum*, inaudita plane ftupendaque deprauatione, ſcripfit. Iam quidem fatetur pius Praeful, ſe inter Teutonicas aures diu peregrinari, attamen hac dictione ftirpem ſuam non inficiatur, fed illud tantum profitetur, ſe ſe obftudia, extra patriam culta, fortunasque in extero coelo inuentas, patriae ſuae veluti pere-

* Ex commentatione eius, *De illuſtribus Alemannis*, edita Lipſiae 1710.

peregrinum factum esse. Iuuenis autem in Galliam concesserat, academiam Carnotensem frequentaturus, quae sub Fulberto tantopere florebat, ut, quoad superesset, nulla in Francia schola superior fuisse dicatur. (Bul. hist. Acad. Par. T. I. p. 365.) Alemannus certe magno huius doctoris amore flagrabat, ipsumque Socrate ac Platone multo habebat potiolem, hisque nominibus identidem compellabat. Inter commilitones referebat Berengarium, Ioannis Scoti sententiam amplexum, grauissimae dissensionis auctorem, cum quo iuuenis familiarissime vixit, assumtis in societatem studiorum Paulino Metensi, aliisque, quibuscum secreta colloquia instituebat. Postquam, inde digressus, in ecclesia Leodiensi, sub Scholastici titulo, sacerdotibus adscriptus esset; anno restauratae salutis MXXXVII. orta inter Lanfrancum & Berengarium, de augustissimo Eucharistiae secreto, controuersia, varias excitauit turbas. Extat Berengarii ad Lanfrancum epistola, suadens, ne Io. Scotum haereticum haberet, in qua mirum illud acumen, & stupenda, quae de eo praedicabatur eruditio, non apparet. Defendit partes suas Lanfrancus, properantibus in auxilium aliis, interque eos Hugone, Lingonensium episcopo; viro veritatis quidem tenace, sed disciplinae & conscientiae pro-

F digo,

digo, quo nomine anno restauratae salutis
 MXXXVIII. praesulatu deiectus legitur.
 Eodem ortae litis anno, Alemannus, scho-
 las Leodienses adhuc regens, anno autem
 sequente ad cathedram Brixensem euectus,
 Berengarium, veterem amicum, ne longius
 progrediretur, sed resipisceret, epistola lectu
 digna, modestiaeque & charitas diuinae ple-
 nissima, adhortatus est. Quem reducendi
 deuios modum, vtinam omnes, militiam
 sacram profitentes, amplecti vellent! Inpri-
 mis monet, ne a sententia celebrium eccle-
 siae patrum, Ambrosii, Augustini, Chry-
 sostomi, * desciscerent. *Bonum est, frater, in-
 quit, nobis paruulis, sub istorum ducum titulis
 delitescere. Quorum tam valida est, tamque pro-
 babilis apud ecclesiasticas aures auctoritas, sancta-
 rum virtutum fulgore, coelestis sapientiae luce
 praepollens, vt extremae dementiae sit, vel de ra-
 tione fidei, vel de ordine, eis in aliquo refragari.*
 Non paruit recta suadenti Berengarius, suae-
 que pariter atque illius, quae posthac Eccle-
 siam pressit, calamitatis architectum egit,
 non deflectente a pietatis, litterarum, &
 modestiae studiis Alemanno; qui carmine,
 tum vsitato, pollens, Praesules eruditosque
 tum celebres, Fulbertum, Hildierum cogno-
 mento Pupillam, Sigonem, Lambertum, En-
 gel-

* Chrysostrum non nominat Adelmanus,
 sed Hieronymum,

gelbertum, Reinaldum, Gerardum Gilbertum, Waltherum, Raginbaldum, Wathonem, Odulfum, Alestanum Warinum, laudavit, excellentisque ingenii notas, non omnes quidem Mabillonio detectas, inseruit.

Idem in fine epistolae Adelmanni.

Epistola eius ad Berengarium truncata quidem, quod ex contextu diuinamus; at tamen, quod bene Bellarminus* censuit, valde est erudita.

* Vide supra iudicium hoc Bellarmini insertum testimoniis a Galeardo collectis.





PAVLI GALEARDI
ANNOTATIONES IN ADEL-
MANNVM.

ADELMANNI EX SCHOLASTICO LEODIENSI
EP. BRIX.) *Scholastici* nomen appella-
tio laudis erat. Nam *Scholasticus* plerumque
apud veteres appellabatur eruditus aut elo-
quens. De quo vnum tantum vel alterum
locum proferam, ne rem, ab aliis iam oc-
cupatam, videar mihi vindicare. Saluianus
in praef. ad libros de Gubernat. Dei: *Omnes,*
in scriptis suis propriis, magis laudibus, quam alio-
rum utilitatibus consulentes, non id facere annisi
sunt, ut salubres ac salutiferi, sed ut SCHOLA-
STICI ac disertis haberentur. Sulpicius Seue-
rus Dial. I. cap. 4: *Quia SCHOLASTICVS es,*
non immerito te versu comici admonebo. Et cap.
vlt. *Ceterum, cum sis SCHOLASTICVS, hoc*
ipsum, quasi SCHOLASTICVS, artificiose fa-
cis, ut excuses imperitiam, quia exsuperas elo-
quentia. Plura de hoc vocabulo dabunt Ba-
ronius, ad diem sextam Februarii, Casau-
bonus, ad Maximinum Capitolini, & Baluzius,
in notis ad Saluianum. Ego autem hoc loco
puto *scholastici* nomen, Adelmanno inditum,
longe aliud sibi velle, eoque significari,
iuxta morem illius saeculi, dignitatem Ec-
clesiasticam, qua qui donati erant, scholis
Eccle-

Ecclesiasticis praesidebant, atque in iis docebant. Quo sensu Sigebertus, anno 1047, *Franco*, inquit, **SCHOLASTICVS Leodicensium**, & *scientia literarum*, & *morum probitate claret*. Et Caesarius Heisterbacensis, lib. I. Mirac. cap. 39. *Rodolphum*, eiusdem *Ecclēsię SCHOLASTICVM*, *Parisis legentem*, *audiuit*. Quod coniecturam meam fulciat probe, illud est, quod nempe Adelmannus vocetur: *Scholasticus Leodiensis*; ex *scholastico Leodiensi*. Eodem modo, quo etiam Franco apud Sigebertum dicitur: *Scholasticus Leodiensium*. Nam alias *scholasticus* absolute vocatur, quicumque scientiarum addiscendarum gratia, scholas frequentat. Vnde Adelmannus ipse Berengarium appellat *Conscholasticum*, quia simul fuerant in schola Carnotensi, sub Fulberto.

CONSCHOLASTICO BERENGARIO) Sic emendatius editio Louan. & Paris. Vbi aliae duae editiones, Coloniensis scil. & Lugdunensis, habent: *Scholastico Berengario*. *Conscholastico* autem scriptum fuisse ab Adelmanno, patet ex iis, quae mox sequuntur: *Collactaneum te meum vocavi*. Nisi enim Berengarius dixisset: *Conscholasticum*, non video, quomodo apte verba haec subdi possint. *

* Scrupulum hunc doctiss. Galeardo a libris impressis obiectum, eximet lectoribus nostris salutationis formula, quam exhibet codex. Vide praefat. & lect. var.

in academia Carnotensi) De schola Carnotensi auctor syntagmatis, de scholis celebrioribus, cap. 40. eamque percelebrem fuisse, colligit ex hoc Adelmanni loco, quo Carnotensem scholam *Academiae* nomine insigniuit. Nescio autem, quanti facienda sit eiusdem auctoris coniectura, in eodem libello cap. 25. ubi putat, Adelmanni temporibus intermissa fuisse, vel certe refrixisse in schola Leodiensi studia literarum, eaque ab eodem postmodum ardentius excitata, eo, quod Adelmannus non Leodii, sed Carnuti literis operam dederit. Nam qua demum ratione ostendit, Adelmannum, qui certe patria Leodiensis fuisse non videtur, Leodii potius quam Carnuti instituendum se tradidisse, etiamsi in vtriusque vrbis schola literarum studia vigerent? Adelmannum non solum Leodiensem non fuisse, sed nec fortasse Transalpinum, indicant verba illa, quae ipse in hac epistola paulo inferius ponit: *ut non solum Latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor, repleuerint.* Vide, quae ibi adnotauimus. Apud Mabillonium Ann. Bened, tomo 4. sub anno 1036. pag. 413. ex rhythmis Adelmanni nostri laudatur *Watbo*, ante Adelmannum Leodiensibus scholis praefectus, sub quo, vti & sub Adelmanno *Legia, magnarum artium nutricula, floruisse* dicitur. Porro *Watbo* iste, Adelmanni praecessor,

cessor,

cessor, omnino praeteritus fuit a praedicto auctore, in syntagmate de scholis, vbi agit de schola Leodiensi cap. 25.

sub nostro illo venerabili Socrate) Fulbertum intelligit, Carnotensem episcopum, sub cuius disciplina educati ambo fuerant, quod etiam clarius patet paulo infra, vbi ait: obsecrans per suauissimam memoriam Fulberti, vt pacem catholicam diligas. Hunc integrum Adelmanni locum descripsit Baronius ad A. C. 1004. n. 6 & seqq. dum primordia orientis haeresis, ac tyrocinium Berengarii sub Fulberto, consignat his verbis: Reuocauit in memoriam Berengario istiusmodi sub Fulberto tyrocinium suum, eiusdem sub eodem doctore condiscipulus Adelmannus, episcopus Brixienfis, cum postea aduersus eum disertam valde scripsit epistolam, cuius initium denuo recenset ad A. C. 1035. n. 7. Quis & quantus fuerit Fulbertus, produnt epistolae eius, & opuscula, quae passim extant in bibliothecis patrum. Fertur autem, morti proximus, inter adstantes Berengarium conspicatus, confestim expellendum iussisse, protestatus, immanem draconem prope eum consistere, multosque, ad eum sequendum, blandiente manu, & illice anhelitu, corrumpere, vt tradit Malmesburiensis lib. 3. de gestis Anglorum, & ex Malmesburiensi, Baronius ad A. C. 1028. n. 5. Sed si haec Malmesburiensis narratio vera sit, nescio an appo-

site Adelmanus per suauissimam memoriam Fulberti Berengarium compellare potuerit.

Diligens plenius) Editio Louan. aliquanto melius: *Et diligens plenius.*

6. *per secreta illa Et vespertina colloquia, quae nobiscum in hortulo iuxta capellam cet.)* Locorum recordatione maxime animum moueri, docuit luculenter Cicero 5. de Fin. *Naturane nobis hoc datum dicam, an errore quodam, ut cum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moueamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod legamus?* Et paulo post: *Tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine causa ex his memoriae ducta sit disciplina.*

iuxta capellam) Id est, Ecclesiam. Nam a scriptoribus illius aetatis frequenter Capella accipitur pro Ecclesia. Eginhardus ann. 829. *Ipsam sanctae Dei genetricis basilicam, quam CAPELLAM vocant, tegulis plumbeis tectam.* Charta Caroli Simplicis, ex tabulario monasterii Compendiense, apud Cangium in Glosario: *CAPELLA constructa, seu dicata sub eiusdem virginis memoria, in qua duodecim ecclesiastici ordinis viros statuimus, qui die noctuque diuina, horis competentibus, frequentent officia.* Gaufridus Vit. S. Bernhardi lib. 2. cap. 6: *Aquisgrani sede regia, dum in illa famosissima*
toto

toto Romanorum orbe CAPELLA, vir beatus missarum solennia celebraret. Laudatur valde Fulberti Carnotensis memoria apud Malmesburiensem, lib. 2. de gestis Angl. cap. 2. anno ab incarnatione 1032 eo, quod inter caetera industriae suae documenta, ecclesiae dominae nostrae, sanctae Mariae, cuius fundamenta iecerat, summam manum, mirifico effectu imposuisset, quo tempore Cnuto (Danorum) rex ad transmarinas ecclesias pecunias mittens, maxime Carnotum ditavit, ubi tunc florebat Fulbertus episcopus, in sanctitate & philosophia nominatissimus. Haec Malmesburiensis. Extat inter epistolas Fulberti 97, qua gratias agit Cnutoni, magnificentissimo regi, quod erga ecclesiam & feruos Dei benignissimum se largitorem praestiterit. Fortasse Cappella ista, seu Basilica, quam Adelmannus memorat, eadem illa est, a Fulberto, maximo sumtu ac labore, a fundamentis exstructa.

7. sanctorum patrum vestigiis obseruantissime inhaerentes, vt nullum prorsus in diuerticulum, nullam in nouam & fallacem semitam desiliamus)
 Non frustra hanc Fulberti hortationem Berengario in memoriam reuocat Adelmannus, vt, communis magistri auctoritate interposita, eum leuitatis suae admoneat, cuius iam sub Fulberto fortasse non obscura indicia dederat, *cum iuueniles adhuc in scholis age-*

ret annos. Vt narrat Guitmundus lib. I. de
verit. corp. & sang. in Eucharistia.

13. *Auertat Dominus a te, sancte frater*)
Patet ex his verbis, hanc epistolam fuisse ab
Adelmanno conscriptam, ante, quam Be-
rengarius in concilio Romano & Vercellenfi
damnaretur. Nam aliter eum *sanctum* fra-
trem, nunquam fuisset appellaturus; * vt
recte obseruauit Mabillonius Annal. Bened.
tomo 4. pag. 515. Infra etiam cum dicat:
Haec ante biennium cum audissem, satis prodit,
se haec conscripsisse, cum primum Beren-
gariana haeresis vulgari coepit. Verum,
de tempore huius Adelmannicae epistolae,
atque initiis euulgati a Berengario erroris,
vide praefationem nostram ad Adelmannum.
Hoc tantum notare libet, laudem hanc prae
ceteris Adelmanno deberi, quod primus an-
te alios surgentem haeresin scriptis suis ex-
pugnauerit, vt pridem aduertit Alanus An-
glus, lib. I. de eucharist. Sacram. cap. 21.
Ex quo factum fortasse, vt in Romana sy-
nodo Berengarius ipse, absque vlla disputa-
tione, sponte errorem suum damnauerit, vt
habet Baron. ad ann. 1059. n. 12. Quod
ait

* Alienum esse videtur a scopo Adelmanni, hoc
loco appellare Berengarium *sanctum* fratrem.
Et hoc *sanctitatis* titulo eum fortasse ornatum
a recentiore quodam librario, testatur codex
noster. De qua re egimus in praefatione.

ait Leo Ostiensis Chron. lib. 3. cap. 35, Berengarium in Romana synodo, ab Alberico, Casinensi monacho, confutatum; valde reprehenditur a Baronio n. 18. tamquam gloriantur nimis ac valde mendaciter dictum. Licet Ostiensem purgare conetur Angelus de Nuce, ad Chron. tom. 4. Rer. Ital. pag. 455. Videndus Io. Baptista Marus, notis ad Petrum Diaconum, in Alterico.

14. *vt non solum Latinas verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor*) Videtur Adelmannus hoc dicere, quasi pertaesus Leodiensis domicili, si tamen haec epistola, vt mihi verisimile est, Leodii data fuerit. Leodiensis enim episcopatus Germaniae accensetur in Westphalico circulo; ideoque *Teutonicas aures* nominat, inter quas nimium longo incolatu peregrinari se profitetur. Itaque Adelmannus nec Leodiensis erat, nec Teuto. At numnam aliqua hinc extundi potest coniectura de natione Adelmanni? Plane non video. Quamuis verba ista: *non solum Latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor*, aliud aliquid subindicare videantur. Num, quia inter aures *Teutonicas* peregrinabatur, inter *Latinas* minime hospes erat, ideoque *Latinas Teutonicis* opponit? Nihil ausim temere affirmare, licet alioqui sciam, ea tempestate magnos viros, natione Italos, Fulbertum Car-

Carnotensem & Lanfrancum Cantuariensem, in transalpinis regionibus vna cum Adelmanno claruisse.

15. non esse verum corpus Christi, neque verum sanguinem, sed figuram quandam & similitudinem.) Hoc se vnquam sensisse, pernegat Berengarius ipse, in purgatoria epistola ad Adelmannum, cuius fragmenta habentur tomo 4 thesauri noui Anecdotorum, pag. 109. Berengarii verba haec sunt: *Quod dicis, audisse te, quia dixerim: Non esse verum Christi corpus & sanguinem vel: Panem & vinum altaris, non esse, a consecratione, verum Christi corpus & sanguinem, noueris, me nunquam Manichaeorum admisisse sententiam.* Hoc nomine cenfebantur Aurelianenses & Atrebatenses haeretici, qui paulo ante damnati fuerant. Et infra apertius: *Concedo, panem & vinum altaris, post consecrationem, secundum scripturas, Christi fieri corpus & sanguinem.* Constat nihilo minus, non immerito errorem hunc Berengario ab Adelmanno obiici. De quo etiam a Lanfranco, in tractatu de Eucharistia, manifeste reprehenditur. Secutus est enim eam sententiam, cum primum a via deflectere coepit, quamuis Adelmannica hac epistola pulsatus, vt erat ingenio versipellis ac leuis, vt ad alium errorem transierit, Quare

re

re videant ii, qui sibi tantopere Berengarium patronum adoptant, vtrum vere sententiam huiusmodi propugnauerit, quae realem Christi, in sacramento Eucharistiae, praesentiam negat, cum ab ea in praedicta purgatoria epistola tam manifeste recedat.

17. *familiarem tuum, dominum Paulinum Mettensem, primicerium*) Male Dupinius histor. controu. Gallice edita, saeculo XI. cap. 2. pag. 25. hunc Paulinum Mettensem episcopum vocat, quem, praeter Adelmannum, Sigebertus, Trithemius & caeteri omnes, primicerium agnoscunt. Quippe eo tempore ecclesiam Mettensem administrabat Theodoricus, huius nominis II. vt perhibent Samarthani. Sed deterius omnino Caueus, Histor. Liter. saec. XI. pag. 523. Paulino huic haeresis dicam impingit, affirmans perperam ex Sigeberto: Adelmannum ad eum scripsisse eiusdem argumenti epistolam, *qua ipsum pariter ac Berengarium, communem amicum, a sententia sua de Eucharistia reuocare conatus est.* Nihil tale Sigebertus, cuius verba protulimus supra, in elogiis de Adelmanno. Ait nempe, Adelmannum ad Paulinum scripsisse, *monens eum, ut & ipse Berengarium, communem amicum, a praua intentione reuocaret.* Quare Adelmanus supplicas petiit a Paulino, vt Berengarium in viam reduceret. Quod certe non fuisset facturum, si eodem morbo

morbo laborare illum cognouisset. Hic autem tantum queritur, Paulinum, qui operam suam praestare pollicitus fuerat (vt colligitur ex illis verbis Adelmanni: *Et mea petitione, Et sua pollicitatione,*) officio defuisse.

28. *At vero Ambrosius, Augustinus, Hieronymus*) Recte hos patres opponit, quia eorum potissimum testimoniis utebatur Berengarius, vt suum errorem fulciret. Ideo in epistola ad Lanfrancum, edita a Dacherio, in notis ad vitam Lanfranci, pag. 22, idem Berengarius sic ait: *Si haereticum habes Ioannem (Scotum nempe Erigenam) cuius sententias de Eucharistia probamus, habendus tibi est haereticus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, vt de caeteris taceam.* Vide Lanfrancum, in epistola de Eucharistiae sacramento, aduersus Berengarium. Vbi explicantur testimonia Ambrosii & Augustini, quibus Berengarius ipse abuti solebat.

30. *Quare? Nonne homines erant?*) Praeoccupat Berengarii obiectionem, cuius ingenium procax auctoritati minime acquiescebat. Nam, vt refert de eo Guitmundus, lib. 1. de veritate corp. & sang. Christi in Eucharistia: *Cum iuueniles adhuc in scholis ageret annos, vt aiunt, qui eum tunc nouerant, elatus ingenii leuitate, ipsius magistri sensum non adeo curabat. Libros insuper artium contemnebat. Sed cum per*
so

se attingere philosophiae altioris secreta non posset, nouis saltem verborum interpretationibus singularis scientiae sibi laudem arrogare, & cuiusdam excellentiae gloriam venari, qualitercunque poterat, affectabat. Patrum vero auctoritatem folere passim a nouatoribus reiici, obseruat Canus, lib. 7. de locis Theol. c. 3. pag. 220. edit. Batauinae, anni 1720. Atque in eodem errore summum virum, Card. Caietanum, versatum notat, quem luculenter ac fuse impugnat toto dicto cap. 3. praecipue pag. 225.

32. *Quid enim absurdius affirmari potest, quam coelum astraque omnia stare, terram vero rapida vertigine in medio circumferri?) Laertius l. 8. in Philolao, Opinatur autem (Philolaus) omnia necessitate ac harmonia fieri. Et terram in orbem moueri, primum dixisse ferunt. Alii Hicetam Syracusanum id sensisse adfirmant. Cicero in Lucullo: Nicetas Syracusius, ut ait Theophrastus, coelum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia, stare censet, neque praeter terram rem ullam moueri. Quae cum circum axem se summa celeritate conuertat & torqueat, eadem effici omnia, quasi, stante terra, coelum moueretur. Hanc postea sententiam de terrae motu, quam Adelmannus designat, longo saeculorum interuallo, in scholam reduxit Copernicus. Vt autem id obiter moneam ad locum Ciceronis in Lucullo, mox prolatum, Hicetam ibi pro Nicetam reponendum esse, iuxta*

iuxta Laertii *Ἰκέταν*, admonuit Muretus Var. I I. c. 14, cui subscribit Menagius Not. Laert. lib. 8. Segm. 85.

34. Solem praeterea non calere, niuem nigram esse, audire, quis ferat?) Scepticorum placita; qui de rebus omnibus dubitabant. Cicero in Lucullo: *Anaxagoras non modo albam esse niuem negabat, sed sibi, quia sciret, aquam nigram esse, unde ista concreta esset, albam ipsam esse, ne videri quidem.*

44. Duo scilicet ex circumcissione & duo ex praeputio.) Mattheum nempe & Ioannem ex circumcissione; ex praeputio vero Lucam & Marcum. Marcum tamen sunt, qui Iudaeum putant, sed Adelmannus aliter intelligi nequit.*

* Vide lectiones var. ad h. l. & praefat. Nempe verba ista ab aliena manu fortasse inferta sunt Adelmani verbis.

53. Neque putandus est ei angelus pro Christo apparuisse) Quia Berengarii haeresis eo potissimum nitebatur argumento, Christi nempe corpus esse non posse in coelo & in Eucharistia simul, hoc adstruere, proposito exemplo, fatagit Adelmannus. Christum autem vere Paulo apparuisse, non angelum, Ananiae verba ostendunt Act. 9. v. 17: *Saule, frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, & eiusdem Pauli testimonium Act. 9. v. 27. Narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum.* Praeterea cum dicat Paulus
lus

lus, nouissime sibi Christum apparuisse, sicuti & aliis apostolis; patet, qua forma eum viderit. Vere enim in corpore apparuit Christus Cephae, Iacobo, & ceteris.

56. quando corpus sub quibusdam verbis solemnibus in aqua mersatur) Igitur aeuo Adelman- ni, saeculo nempe XI. adhuc in Occidente retinebatur vsus baptismi per mersionem. Quod non satis obseruatum est a Iosepho Vicecomite l. 4. de antiquis baptismi rit. c. 7. Apposite autem inducitur similitudo, a baptismi sacramento desumpta, quia Berengarius non solum eucharistiam, sed etiam baptismum euertere conabatur. Teste Guitmundo l. 1. de verit. corporis & sanguinis Christi: Tunc (Berengarius) illa, quibus mundanis hominibus, semper peccare cupientibus, placeret, aperuit; legitima videlicet coniugia, quantum in ipso erat, destruens, & paruulorum baptismum euertens. Confer Fulberti Carnotensis epistolam ad Adeodatum; & Deoduini, Leodicensis episcopi, epistolam contra Brunonem & Berengarium, ad Henricum, Francorum regem.

62. Christus, per manum & os sacerdotis, corpus & sanguinem suum creat) Non prorsus improprie creandi verbo utitur Adelmanus. Nam habet aliquid simile creationi transubstantiatio. Vtraque enim virtute diuina in instanti perficitur; vtraque fit ministerio verborum. Monuerunt Theologi Colonien-

ses in Biblioth. PP. Edit Colon. tomo II. pag. 349, locum hunc Adelmanni rite intelligendum esse. Licet enim conuersio panis in corpus Christi, quantum ad aliquid, conueniat cum creatione, & transmutatione naturali; tamen, quantum ad aliquid, ab utraque differt. Vti explicat S. Th. 3. part. qu. 75 art. 8. Porro Christi corpus effici, aut creari in hoc mysterio, dixerunt, praeter Adelmannum, Paschasius Rathbertus, de corp. & sang. Dom. c. 4 & 12; Hugo Lingonienfis, epist. ad Berengarium; Algerus, l. 1. de sacram. corp. & sang. Dom. cap. 16. aliique, quos congeffit Theophilus Raynaudus, Eucharistic. sect. 3. cap. 3. class. 1. tom. 6. Oper. edit. Lugd. p. 58. Cum enim ea tempestate verbum *Transsubstantiationis* nondum vsu receptum fuisset, atque synodice sanctionibus confirmatum, utebantur ecclesiastici scriptores aliis quidem dicendi formulis, re ipsa tamen eundem sensum habentibus.

70. *Quod autem videt quis, quid etiam sperat?* Quidam codd. qui sperat. Isidorus Clarius iuxta Graeca exemplaria vertit: Ὁ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει.

72. *O caro, carnalibus phantasiis magis quam vino, ebria!*) Epiphonema, forte ex Augustini epist. 112. cap. 12. huc translatum: *Audiat caro, carnalibus cogitationibus ebria.* Passim in verborum structura & delectu videmus Adelmannum Augustini imitatore. Sic Augustinus epist.

epist. 53. *Auertat Deus tam inmanem sacrilegam-
que dementiam.* Similiter fere noster, n. 13.
Eademque epistola. *Iis, quae vides, diligenter fiden-
terque perspectis,* n. 92. & in locis pluribus. S.

87. *Habemus hoc comprehensum.*) Editio
Louaniensis subdit: *Videntur nonnulla deesse.*
Aliae vero editiones, quarum coniecturam
probamus: *Videntur multa deesse.* Et profecto
arbitror, *multa.* Nam Adelmannus in iis,
quae habemus, propositam quaestionem de-
libauit potius, quam pertractauit. Utinam
aliquando Adelmannicae huius epistolae
exemplar aliquod MS. e bibliothecarum la-
tebris prodeat, vt eam, frustra hucusque,
licet diligenter conquisitam, publico rei lite-
rariae bono integram proferre possimus!

* * * * *

Hic cum Adelmannica epistola abruptae
sunt doctissimi Galeardi lucubrationes. Nos,
haut ab istis literarum praesidiis, quibus ille
adiutus, mediæ aevi res Ecclesiasticas illustra-
uit, satis iam instructi, supplemento a no-
bis reperto paucas adiciemus annotatio-
nes nostras, maximam partem philologicas;
vberiora de rebus, ad ipsam Adelmanni &
Berengarii historiam pertinentibus, in poste-
rum expectantes ab industria virorum docto-
rum, quorum haec nascuntur in aruis.

92. *Hac duce nocturna, vt ait Tullius, de
Cynosura*) Locus extat lib. II. cap. 41. de nat.
Deorum: *Paribus stellis, similiter distinctis, cos-
li verticem lustrat parua Cynosura.*

Hac fidunt duce nocturna Pboenices in alto.

97. *Graui repulsus eulogio*) Cic. de senect. c. 20. *Solonis quidem sapientis eulogium est, quo se negat, velle suam mortem dolore amicorum & lamentis vacare.* Sed alium Adelmannus cum hac voce iungit significatum, vituperii nempe, quo ad modestiam & silentium reuocatur a Domino Nicodemus scrutator.

100. *Volunt auditores suos, auctoritate sua contentos, multa, quae necdum intellegunt, credere*) Notat cum aliis Philosophis (quos *doctores pompaticos* appellat) in primis factum Pythagorae, nullam ferentis auditorum initiandorum eius doctrinis, contradictionem; & illud coetus silentium *αὐτὸς ἔφα.* De quo silentio plura leges ap. Io. Schefferum, de nat. & constit. Philosophiae Italicae c. 12. pag. 108. edit. Vpsal. 1664.

106. *Vt beatus pater Augustinus in libro baptismorum paruulorum ait.*) Tomi septimi Operum eius, parte altera, edit. Lugd. 1664. Opus ipsum, cuius pars est *liber baptismorum paruulorum* ita inscribitur: DE PECCATORVM MERITIS ET REMISSIONE, DEQVE BAPTISMO PARVVLORVM AD MARCELLINVM LIBRI III. Videtur autem locus, pro testimonio huc euocatus, latinior factus ab Adelmanno, nisi forte meliorem excerpserit codicem. Verba sunt editorum librorum: *Vnde? nisi ex antiqua, ut existimo, & apostolica traditione? qua Ecclesiae Christi insitum tenent, praeter baptismum*
 &

Et participationem mensae Dominicae, non solum non ad regnum Dei, sed nec ad salutem aeternam posse quenquam hominum peruenire.

126. *Visto illa Nabuchodonosor regis, de lapide paruo.)* Locum Danielis de lapide exiguo, vaticinium esse, ad Messiam referendum, cum Iudaeorum doctoribus, antiquitus etiam nobis tradidere primi Ecclesiae Christianorum patres. Videatur Irenaeus adu. haeres. lib. III. c. 28. & alii multi. Adelmannus hanc interpretationem, ad demonstrandam unionem fidelium, cum capite Ecclesiae, Christo, magis adplicat & latius persequitur.

127. *De monte abscisus) pro abscissus.* Ita fere in omnibus codicibus antiquis. Vid. Io. Fred. Gronovius, ad Liu. Nic. Heinsius, ad Val. Flaccum, & alii.

139. *Audiui, iam pridem te illis (saecularibus litteris) valesecisse, atque sacris lectionibus sedulo insudare.)* Guitmundus lib. I. de verit. Eucharistiae: Postquam ille a D. Lanfranco, in dialectica, de re satis parua, turpiter est confusus, cumque per ipsum D. Lanfrancum, virum aequae doctissimum, liberales artes Deus recalescere atque optime reuiuiscere fecisset; desertum se a discipulis iste dolens, ad eruenda impudenter diuinarum Scripturarum Sacramenta (ubi ille adhuc adolescens, & aliis detentus studiis, non adeo intenderat) se se conuertit. Quam mite & humaniter ista verbis tegit Adelmannus noster!

142. *Saepe iuuenes quosdam in claustris suis* (& *praelatis eorum regulariter pulsatos*) Regulariter, κανονικῶς. Hoc loco: ex legibus coenobii aut scholae, sacri ordinis fratribus in puero- rum educatione praescriptis. *Pulsari* mitius habetur, quam *Verberari*. *Pulsamur* manu, *verberamur* fustibus, quam vocis differenti- am & lexica docent. Sed credo *regulares* has *pulsationes* haut substituisse intra colaphos. Valde rigidam in pueros exercuisse discipli- nam Praelatos Adelmanni aetate, discimus, vt ne alia addam, ex colloquio plagosi cu- iusdam Abbatis, cum Anselmo, Archiepisco- po Cant. (in antiquo opusculo *De vita & conuersatione Anselmi*) vbi Abbas, *Peruersi sunt, inquit, pueri in claustro nutriti! Peruersi sunt & incorrigibiles! Die ac nocte non cessamus eos verberantes.* Cui Anselmus: *Non cessatis eos verberare? Et cum adulti sunt, quales sunt? Hebetes, inquit ille, ac bestiales!* Ad haec An- selmus: *Vos in omnium terroribus, minis, ver- beribus, undique illos coarctatis; cet.* Pergit de- inde multis argumentis ostendere, *nihil omnino, aut parum certe, obtineri a pueris bene formandis, percussionibus & flagellis.*

142. *Lo, quod in lectionibus ecclesiasticis ac- centus tuos insolenter vsurparent.) Accentus istos mox nominat: Inusitatas verborum quorundam prolationes.* Profus contemnere dicebatur Berengarius regulas de verborum pronuncia- tione, ex Donato & Prisciano desumptas, qui- bus

bus adstricti erant praeceptores & pueri, in Brixiana schola educandi. *Accentus* vocabulum etiam designat *notas musicas s. modos hymnorum Ecclesiasticorum, in membrana vel charta descriptos.* Sic in epilogo libri, de promissionibus & praedictionibus Dei, Prosperi nomine editi, haec legimus: *Restat musicorum voluptas. Habes hic Organon, ex diuersis fistulis, coaptatum quibusdam Accentibus; Graui, Acuto & Circumflexo.* Sed Adelmannus hic non de hymnis, sed de lectionibus ecclesiasticis loquitur.

148. *Maxime obsecratus ame, ut quancumque rescriberes.)* Qualia rescripserit Berengarius, habes in fragmentis. Haut satis perspexisse, dicit, Adelmannum sententiam suam; nihilque se inuenisse in eius epistola, quod ipsum rei cardinem attingat. Patrum Ecclesiae auctoritate non subuerti doctrinam suam, sed, si recte eos intelligas, firmari. Quod si absque partium studio rem expendamus, lecta integra Adelmanmanni epistola fatebimur, satis copiose, eleganter etiam, illum scripsisse pro sententia orthodoxorum suae ecclesiae, quae tamen raro feriant causam dissentientis ab iis Berengarii. Sed nostro iudicio valde iniquus fuit Berengarius, qui acutius excogitata videtur expectasse ab ingenio Adelmanmanni, lectamque humanissimi hominis epistolam sine dubio

cum risu & indignatione reiecerat. Praefert enim quod rescripsit, vbique supercilium scriptoris. Adelmannus famam tantum confutabat nouitatum quarundam, quae ferpebat adhuc per aures hominum, non scriptum aliquod auctoris ipsius; quo si edoctus antea foret, alia certe protulisset argumenta, magis stringentia Berengarii obiectiones, rerumque, ab se aut probandarum aut confutandarum neruum, penitus ipse inspexisset.

149. *Quam quisquis non amat, nec amet, nec ametur ab ullo*) Versus hexameter; quem si ipse tornauit Adelmannus, pro licentia huius aeui poetarum, vocula *non* corripienda, metri regulas neglexit. Talia saltem haut fuisse dura auribus Adelmanni, ostendunt rhythmus illius; quos subiungemus, castigatos a Io. Mabillonio, & nuper etiam collatos cum editione Brixienfi Opp. PP. Brix. In qua editione Galeardus: *Vt aliquem etiam Adelmannicae poeseos gustum darem, libenter hos rhythmos hic subiiciendos duxi, qui profecto, si temporis rationem spectemus, nec illiberaliter, nec omnino inuenuste sunt conscripti.*



ADEL-

ADELMANNI SCHOLASTICI
RHYTHMI ALPHABETICI
DE VIRIS ILLUSTRIBVS SVI TEMPORIS.

Armonicae facultatis adspirante gratia
Refero viros illustres, litterarum lumina,
Quos recenti recordatur mens dolore saucia.

Bestiali feritate mors acerba saeuens,
In scholares efferata, tamquam leo rugiens,
Passim dedit stragis dirae plus, quam aer pestilens.

Carnotenae decus vrbis, memorande Pontife,*
Te primum, pater FVLBERTE, dum te conor
dicere,
Fugit sermo, cor liquefcit, recrudescent lacrumae.

Deploranda singillatim multa quidem memini,
Vtpote conuictor, senis haerens saepe lateri,
Aure bibens oris fontem aureum melliflui.

Eheu! quanta dignitate moralis industriae
Quanta rerum grauitate, verborum dulcedine,
Explicabat altioris arcana scientiae!

Floruere, te fouente, Galliarum studia,
Tu diuina, tu humana excolebas dogmata,
Numquam passus obscurari virtutem desidia.

Gurges altus vt minores soluitur in alueos,
Vtque magnus ex se multos fundit ignis radios:
Sic insignes propagasti per diuersa plurimos,

HIL-

* Edit. Brix, Pontifex.

106 ADELMANNI RHYTHMI ALPHABETICI

HILDIERVVM, quem pupillam nuncupare soliti,
Quod pufillus esset, immo perspicacis animi,
Ceterorum princeps atque communciceps Praefuli.

Is magistrum referebat vultu, voce, moribus:
Hippocratis artem iungens Socratis sermonibus,
Nec minus pythagoreis indulgebat fidibus.

Karitate SIGO noster plenus, atque gratia,
Multa praebens ore, manu, aduenis solatia,
Singularis organali regnabat in musica.

LAMBERTVS Parisiacum, ENGELBERTVS
Genabum,
Occupabant lectionum otio venalium,
Quaestum de pube Francorum captantes non
modicum.

Martini quoque conciuem, sed non aequae sobrium,
Dignum duco memoratu RAINALDVM Turo-
nicum,
Promptum lingua, stilo largum, valentem gram-
maticum.

Nec tua GERARDE-GILBERT, * te fraudabo
naenia,
Ligerim flauum reuisens ab Iordane & Solyma,
Occidisti propter Mosam, sub Virduni moenia.

O! & te dira peremit aemulorum factio!
Postquam mensus es Europam perflagranti studio,
Scholas multas expilasti, WALTERE Burgundio.

Proh! si numquam reuertisses ad fines Allobrogum!
Quanta nunc auctoritate decorares Latium!
Docens, quicquid reuexisti ab hortis Hesperidum.
Quis

* Edit. Brix. GERARDE GILBERTE.

Quis te tandem, facer heros, * fatis saepe fleuerit?
 Cuius hos & multos plures officina protulit,
 Quorum quisque prae se tulit, quod te vſus fuerit.

REGINBALDVS Agrippinas, vir potens ingenio,
 Barbaras aures Latino temperans eloquio,
 Notus, arces ad Romanas, ab vſque Oceano;

Situs est in vrbe noſtra, longus hospes, Legia,
 Legia, magnarum quondam artium nutricula,
 Sub WATHONE, ſubque ipſo, cuius ſunt haec
 rhythmica.

Tres mihi, Camena, ciues memora de pluribus.
 Illum, procul quem extinctum tranſalpinis fe-
 bribus,
 Lugent artes, lugent vrbes, cum ſuis Primatibus.

Vix amiſſum quereremur, ODVLFO ſuperſtite,
 ALESTANVM; quantus erat veteris ſcientiae!
 Sicut hi, quos erudiuit, fatis pollent hodie.

Xerapelinos ornatus, cum paucis iugeribus,
 Praeſul durus denegarat: At tu, Mettim profugus,
 Multas illic opes naſtus, WARINE, es, &
 conditus.

Ypogaeis & antiquae parentis in gremio
 Dormientes, excitandi mane mundi vltimo,
 Pace aeterna perfruantur, te, Chriſte, propitio.

Zelo grandi cor accenſus pro carorum funere
 ADELMANNVS haec deflebat in Nemeti litore;
 Suos ipſe idem illic obſeruans cottidie.

* Fulbertus.

PAVLVS

PAVLVS GALEARDVS
IN RHYTHMOS ADELMANNI.*

Ioannes Mabillonius, magni nominis ac summae eruditionis vir, hos Alphabeticos Adelmanni Rhythmos, ex MS. cod. Gemblacensi, primus vulgavit, tom. I. Anecdotorum, pag. 420. ac praeter ea nonnullas annotationes adiecit. — Adelmannum vero nostrum quaedam metricè scripsisse, testatur Trithemius, apud quem *Philosophus & Poeta dicitur, & carmine excellens & prosa*. Posseuius quoque Adelmanni poetica memorat; nam recensitis ceteris eius scriptis, addit: *Eum edidisse alia insuper, tam metro, quam soluta oratione*. — Misit hos Rhythmos Adelmannus ipse ad Berengarium, ut verba haec, iisdem praemissa in MS. cod. Gemblacensi, testantur: *Mitto etiam tibi rhythmicos versiculos, iuxta ordinem Alphabeti digestos, quos ante annos aliquot, cum adhuc Leodii essem, me amicos quosdam meos, quorum plures ipse noueras, lamentabiliter recensente, reperi nuper & edidi*. Quae verba, ut notat Cl. Mabillonius,** Adelmanni sunt, hos versus mittentis ad Berengarium, de quo, in fine Rhythmorum, haec leguntur: **RESPON-**

* Ex edit. Sermonum Gaudentii, pag. 314. & Operibus vett. Brix. Episc.

** Testimonium integrum Mabillonii de Adelmanno, habes supra insertum reliquis de Adelmanno testimoniis.

RESPONDIT BERENGARIVS: *Nascitur ridiculus mus!* Hinc non parum miratus sum, in eximio opere Thesauri Anecdotorum, Parisiis edito, anno 1717, tom. 4. pag. 113. hos Rhythmos prodiisse inter fragmenta Berengarii, cui etiam ab illis editoribus adscribuntur in Obseruatione praeuia ad Acta Concilii Romani, pag. 102. his verbis: *Subiungimus fragmenta ex eius (scilicet Berengarii) epistola ad Adelmannum, cum Rhythmis de viris illustribus sui temporis, qui in eodem Codice Gemblacensi reperiuntur. Addeamus & rhythmicam orationem, ab eo poenitente compositam, descriptam ex MS. Codice maioris Monasterii.* Itaque Rhythmi isti in alienam familiam transcripti, iam non amplius Adelmani ad Berengarium, sed ipsius Berengarii opus audire incipiebant. Non enim fortasse animaduenterunt clarissimi editores Thesauri noui Anecdotorum, hos eosdem Rhythmos non plane alios esse, quam qui ante annos quadraginta a doctissimo Mabillonio, sub Adelmani nomine, in Analectis editi fuerant; eosque cum in Codice Gemblacensi, vna cum aliis Berengarii scriptis permixtos, offenderent, sub eiusdem Berengarii nomine vulgandos esse putarunt. At vero, etiamsi pro Adelmanno non staret Mabillonii auctoritas, viri huiusmodi mercibus recte aestimandis ac discernendis nati; aut Codicis Gemblacensis, a quo Mabillonius accepit, fides

des

des in dubium reuocanda foret; Rhythmi ipsi auctorem suum satis produnt, vtpote qui non semel Adelmannum sibi parentem esse testantur: vt in loco

*Legia, magnarum quondam artium nutricula,
Sub WATHONE, subque ipso, cuius sunt haec
rhythmica.*

Porro, quisnam ille, quaeso, cuius sunt haec *rhythmica*, sub quo *Legia, magnarum artium nutricula*, floruisse dicitur, nisi Adelmannus, qui Leodiensium scholarum praefecturam gessit? Haec certe nullo modo ad Berengarium spectare possunt, cui, Turonis degenti, nihil negotii erat cum Leodiensibus scholis. Praeterea, cum in fine Rhythmorum Adelmannus ipse testetur, hos Rhythmos a se conditos esse; vt eos parenti suo vindicemus, sufficit ipsius Adelmanni verba proferre, quibus res extra omnem dubitationem in medio ponitur:

*Zelo grandi cor accensus pro carorum funere,
ADELMANNVS haec deflebat, in Nemeti litore,
Suos ipse idem illic obseruans quotidie.*

Hos autem Rhythmos ab Adelmanno Spirae conscriptos fuisse, liquet ex eo carmine:

ADELMANNVS haec deflebat in Nemeti litore:

Nemetum enim Spira vrbs est. Deinde ab eodem Adelmanno, post annos aliquot Leodii

di

dii repertos atque editos, videntur ostendere verba illa, in Codice Gemblacensi, vt Mabil-
lonius testatur, Rhythmis praeposita, quae
ab editoribus pariter Thesauri noui Anec-
dotorum iisdem Rhythmis praemittuntur, ex
auctoritate item Codicis Gemblacensis: *Mitto
etiam tibi rbythmicos versiculos, iuxta ordinem
Alphabeti digestos, quos ante annos aliquot, cum
adbuc Leodii essem, reperi nuper & edidi.* An
porro Gemblacensis Codex, a quo Mabillo-
nius haec accepit, vnus atque idem sit cum
Gemblacensi Codice, ab editoribus The-
sauri noui Anecdotorum laudato, non satis
compertum habeo. Sane Rhythmi ipsi, col-
latione vtriusque editionis, Mabillonicae nem-
pe, & Thesauri noui Anecdotorum, non-
nullis in locis emendati sunt.



VIRI CELEBRES NOMINATI
IN EPISTOLA ADELMANNI.

AMBROSIVS.

AVGVSTINVS.

BOETHIVS.

CICERO.

DONATVS.

FVLBERTVS CARNOTENSIS.

HIERONYMVS.

PAVLINVS METENSIS.

PLATO.

PRISCIANVS.

SOCRATES.

IN BERENGARII EPISTOLA.

AMBROSIVS.

AVGVSTINVS.

LANFRANCVS.

PASCHASIVS.

Corrigenda.

p. 2. lect. var. lin. 2. *Galcardus* lege: *Galcardus.*

p. 8. lect. var. lin. 1. *virtutem*) lege: *virtutum.)*

p. 77. loco custodis paginae *Emin.* pone: *Ang.*

p. 78. lin. 1. & 11. *Aug.* lege: *Ang.*

Thurh. vnt. A 3405

